DE VITA ET SCRIPTIS

IOSEPHI FINESTRES

ET A MONSALVO

IURISCONSULTI BARCINONENSIS

IN CERVARIENSI ACADEMIA IURIS CIVILIS PRIMARII

ANTECESSORIS EMERITI

COMMENTARIORUM LIBRI IIII.

AUCTORE

D. LUCIANO GALLISÁ ET COSTA,

PRESBITERO AUSETANO.

PRAESIDUM FACULTATE.

CERVARIAE LACETANORUM: TYPIS ACADEMICIS,

EXCUDEBAT SIGISMUNDUS BOU ET BARANERA.

ANNO MDCCCII.

NOBILIBVS. VIRIS

RAYMVNDO. XAVERIO

ET. IOSEPHO. IGNATIO

PRESBITERIS

I. PONTIFICII. CONSVLTISSIMIS

ANTECESSORIBVS. CERVARIENSIBVS

AC. FAVSTO

ORNATISSIMO. IVVENI

MASSOTIIS. FRATRIBVS. GERMANIS

NOMINIS. VIRTVTIS. SAPIENTIAE. PIETATIS

MAGNO. EORVNDEM. AVVNCVLO

EX. ASSE. HEREDIBVS

ET. IOSEPHO. A. VEGA

CERVARIENSI. CIVI. PRIMARIO

CHRISTIANA. IN. DEVM. RELIGIONE

R. PVB. BARCINONENSI. PRAECLARE. GESTA

OPTIMARVM. ARTIVM. STVDIIS

ELEGANTI. DOCTRINAE. CVLTV

FLORENTISSIMO

COMMENTARIVM

DE. VITA. ET. SCRIPTIS. FINESTRESII

HOC. PRO. SVMMO. SVO. IN. CL. VIRVM. STVDIO

ADNITENTE. ET. AVCTORE,

ILLIS. ETIAM. PLVRA. MONVMENTA

BENIGNE. SVPPEDITANTIBVS

LVCVBRATVM. ET. IN. LVCEM. EDITVM

LVCIANVS. GALLISARIVS

DEVOTI. ANIMI. ET. AMICITIAE. PIGNVS

LVBENS. MERITO

D. D. O. C.

PRAEFATIO.

Inter viros ingenio et virtute praestantes, illi mihi videntur inprimis posteritati litteris commendandi, qui, cum ipsi aliquo in genere laudis excellerent, aliis quoque, ut ad eandem pervenirent, duces sese adiutoresque praebuerunt. Non enim arbitrabantur, satis se fecisse ingenti quo flagrabant iuvandae reipublicae studio, nisi fructus eorum industriae propius foret, ipsisque quam diutissime superesset. Quod si quis inter egregios huiusmodi viros nomen profiteri suum quam optimo iure potest, is vel maxime est Iosephus Finestresius, de cuius vita, scriptis, meritisque in rempublicam litterariam dicere aggredior. Ille in omni, quam longa fuit, vita, non solum, incredibili ardore animi maximoque fructu, litterarum omne propemodum genus excoluit, verum etiam alios ad idem conandum erexit, ope, opera, consilio eisdem praesto fuit, exemplo praeivit, et quasi signum in academia extulit, quod sequuti summam in re litteraria laudem assequerentur. Ut vere affirmare possim, maximam partem splendoris, dignitatis, atque doctrinae, qua cervariensis academia floruit, huic deberi viro, de aliorum et academiae gloria, magis quam de sua solicito. Prae-

sertim cum ab ultimis conditae ipsius temporibus ad haec nostra, non solum e superiori loco professor, sed et legitimis confectis stipendiis urbanam hanc militiam non deserens, nunquam academiae et litterarum commodis deesse sustinuerit. Nam cum honesta misione donatus, otio frui honestissimo iure suo posset, maluit in castris academiae quasi miles evocatus sua sponte militare, quo tirones ad omnis doctrinae liberalis gloriam, auctoritate, atque aspectu ipso excitaret; ut in vita Finestresii, magna pars historiae cervariensis academiae contineatur. Quare minime mirum videri debet, si in describendis eius rebus gestis, et meritis in rempublicam litterariam singularibus, in aliorum illustrium virorum commemorationem, commendationemque excurram. Temperabo tamen me, et aliena tantum ea persequar, in quibus multae magnaeque fuerunt Finestresii partes; ut tunc etiam non minus ipsius, quam aliorum studia laudesque recensere videar, nec tam illa studiose consectari, quam etiam pleraque, ultro sese offerentia, praetermittere; in quo ipso vel praecipua Finestresii laus versatur, quod academiae, eiusque professorum decora commemorari vix possint, quin ubique ipsius nomen confestim in oculos incurrat. Quid quod propositum mihi est, non tam iustam historiam conscribere, quam commentarios rerum pro litteris ab eo gestarum? Quo in scribendi genere id percommode usu venit, ut liceat liberius incedere, et vagari latius, unde parata habeant, quae sibi vindicent qui velint scribere historiam, neque tam praerepta aliis a me, quam praebita materia videatur. Non enim doctos homines a scribendo deterrere, sed potius provocare volui. Quod si superstes esset Iosephus Rialpius, quem dudum, non sine ingenti reipublicae litterariae, et cervariensis athenaei detrimento, amisimus, quemque ego vix dum diligere et mirari coeperam, cum improvisa fati vi ereptum dolui; qua erat ille vir in scribendo elegantia, si quam meditabatur Finestresii vitam latinis exornasset litteris, otium sane mihi scribendi fecisset. Acerbissimam illius iacturam minus aegre

ferremus, si viro erudito Francisco Xaverio Laurentio, qui idipsum post Rialpium propinquum suum, urgente, et stimulos utrique crebro addente Andrea Massotio pro singulari sua erga cl. avunculum pietate, aggressus fuerat, per forenses, et domesticas occupationes institutum opus persequi licuisset. Restabat aliud iurisprudentiae et elegantiorum litterarum lumen Raymundus Lazarus Dovius, quo nemo melius, cum in convictu, et contubernio Finestresii diu versatus fuerit, res eius gestas, quarum magnam partem testis oculatus fuerat, ornare dicendo poterat, si reipublicae ecclesiasticae negotia, eiusdem fidei concredita, tantum ipsi ad id aggrediendum reliquissent otii. Cuius quidem rei luculentum ille quidem specimen dedit, cum carissimum institutorem suum in funere laudavit. Extat eius oratio habita ad senatum academicum, tanta elegantia et eloquentia, ut in ea nihil desiderari posset ad absolutam numeris omnibus vitae Finestresii imaginem, nisi, angustiis temporis, orationisque circumscriptus, res maximas in arctum concludere spatium, alias non tam dicere quam non omittere, alias prorsus praetermittere, et post commemorandas aliis relinquere coactus esset. Quod si omnia eodem dicendi genere persequutus fuisset, non iam mihi, sed vel eruditissimo cuique, et elegantissimo scriptori, stilum e manibus excusisset. Verum iam Finestresii vitam ab eius exortu deinceps contexere aggrediamur, in qua describenda nihil necessitudini, quae mihi cum illo fuit coniunctissima, sed omnia severae veritati tribuam. Neque is est Finestresius, qui ascititiis laudibus egeat, cum abundet propiis. Immo interdum vereor, ne non unius hominis, sed plurium, eorumque doctissimorum videar narrasse vitam. Fuerunt in eo viro multorum hominum personae, non adumbratae, sed expresae, ut anceps sit quae illum magis deceret. Fuit enim et iurisconsultus eximius, et philologus eruditissimus, et acutus philosophus non sine mathematicarum artium praesidio, et orator, et poëta elegans, et liberalium artium pin-

gendi, scalpendi, modorumque musicorum faciendorum apprime gnarus. Quot autem, quantaeque disciplinae hisce nominibus constrictae, et quasi stipatae contineantur, nemo, credo, vocabit in dubium, qui norit quantae molis, et quot vigiliarum opus sit, in unaquaque earum efflorescere. Sed iam id ipsum rebus eiusdem gestis, scriptisque enarrandis ostendamus.

AUCTORIS MONITUM AD LECTOREM.

Cum me absente opus typis mandatum sit, lectorem oro et obtestor, ut ante omnia tabulam erratorum emendandorum percurrat. Qua in re Finestresii diligentiam imitabitur, qui, ut ab eo accepi, et ipse vidi, quoties novum librum sumebat in manus, huiusmodi tabulam non solum lustrabat, sed saepe etiam quae corrupta erant, ex ea suis locis emendabat. Quod hic omnino fieri, necesse est: quaedam enim contra autographi fidem vel á librario transcripta, vel edita, vel compendio de more scripta perperam interpretata et posita, nisi corrigantur, aut nullum, aut pravum sensum reddunt, aut latina non sunt. Praeterea peccatum saepe est in geminandis consonis; ut in *dilligens*, *dilligentia*, &c. *relligio*, *relligiosus* &c. *missit*, *commissit* &c. *difficillibus* &c. *dissertus*, *excussus*, *recussus* &c. pro *diligens*, *religiosus* &c.: in seiungendis diphtongis *oe* in *ae* ut in *caeptum incaeptum* &c. in *caena*, *caenobium*, *caenosis*, *paena*, *paene*, *Phaebus*, *Camaenae*, *amaenior* &c. pro *coeptum*, *coena* &c. quae diphtongi alias desunt, ut aliquando in *poetice*, *eliseos*, *coherentia*, *ecclesiastice*, pro *poeticae* &c. deinde in interpunctione; desunt enim saepissime commata; quae res salebras legenti iniicit, incerto quid cuique tribuendum; quid quocum connectendum, aut a quo secernendum sit; orationemque minus dilucidam, et lectionem impeditiorem efficit: ea, cum notari non possint (tam multa sunt) prudens, et benevolus lector proprio marte supplebit. Quod si quaedam verba graeca offendit, id, oro, aequi bonique consulat: quaedam retinui, quia ipsis de se loquens usus est Finestresius: paucissima alia mihi in commentandi impetu exciderunt; tunc enim, quomodo rem ipsam ita breviter, et significanter latine dicerem, non succurrit. Id, quominus infantiae tribuatur, non recuso; modo me putidiusculae cuidam affectationi, a qua abesse me profiteor quam longissime.

Mihi enim tota haec ratio in huiusmodi scriptionibus vehementer displicet, ubi laudi nullus, reprehensioni locus aliquis esse potest. Quod si ego emendandis adfuissem typographicis mendis, delessem ea omnino, ne inepte laudem, ubi nulla est, quaerere viderer. Quaedam etiam fortasse iterata videri poterunt, quae similiter expunxissem, si mea tempora, ut opus incudi redderem, pati potuissent.

Pag.	lin.	Errat.	Corr.
10.	31.	affigit	affingit.
43.	16.	Κακοσόμαχος.	Κακοστομαχος.
47.	30.	*post* pergrandia, . . *adde*.	volumina.
50.	6.	legantur amabo eae.	leguntur amaboeae.
69.	17.	Pirineos.	Pyrenaeos.
82.	33.	epistolarum	epitomarum.
86.	18. *et alias*.	cytharam	citharam.
88.	17.	non tantum.	non tam.
91.	15. 16.	veneratur.	venatur.
126.	30.	prostrabant.	prostabant.
134.	10.	faces.	fasces.
138.	9.	Βιθιομανία.	ΒιΒλιομανία.

Alia praetermitto, quae prudens et benignus lector sponte sua facile corriget.

„nestresius imperator Romae aut a partibus romanorum stabat; par-„taque ab istis victoria Iosephus Finestresius qui aliquantulum suis „germanis fratribus aetate anteibat, eam celebravit hoc epigrammate, „quo uno divitem Finestresii venam, specimenque maximi ingenii cum „iudicio et erudita antiquarum rerum notitia coniunctum in tam tenera „aetate non poterit non admirari quilibet iustus rerum aestimator".

Cingite romani victricia tempora lauro,
Vicit eliseos Roma diserta viros.
Scilicet ista novos generavit Roma Metellos
Palladii ac belli fulmina Scipiadas;
Qui nec Scipiadis cedunt priscisve Metellis
Inque hostes audent fortius ire suos.
Duxerit eia armis aliquando Roma triumphos:
Plus est quod tyrios vicimus ingenio [1].

1 Lubet hic Dovii ad hoc epigramma observationem adtexere nec sine animadver-„sione praeterire: „Carthaginiensium ' inquit ' calliditatem et ingenium nemo nescit „omnium linguis celebrata fuisse, ex quo illud *acutus ut afer*, et in afrorum „acumine acutum Finestresii epigramma. Maiansius dubitat num auctor scripserit „*ingeniis* in ultimo carmine. Haec dubitatio aliam mihi affert in voce *tyrios*. Nam „si legendum esset *ingeniis* facile adducerer ut crederem scriptum *thyriis* et „significantiorem esse ultimum versum. Catalaunicum verbum *Finestres* eandem vim „et potestatem habet ac latinum *Fenestrae*, et graecum Θύρίδες, qua de caussa „Finestresius subscribens distichum a se factum in *Orationem de tribuendo cultu* „*Sanctorum Martyrum reliquiis adversus Vigilantium*, se *thyrium* appellavit. Quum „notissima sit Africae inscitia, ex quo tempore cessavit bonarum artium cultura, „ut non sine caussa de Severo imperatore dixerit Ausonius:

Punica origo illi, sed qui virtute probaret
Non obstare locum: dum valet ingenium.

„Potuit auctor epigrammatis elegantissime Finestresios nominare *thyrios*: indocta-„que eorum ingenia, qualia thyriorum fuerunt modeste significare, alludens grae-„cum verbum et barbariem Africae. Quoquo modo fuerit scriptum epigramma, elegan-„tisimum est." Sic ille; sed pace disertissimi oratoris, vereor ne dum ille carminis clausulam vult acuere obtundat et hebetet: nec enim in solam Africam barbaries incubuit, nec pariter cum cultu obruuntur ingenia, nec Ausonii testimonium rem conficit, imo alia omnia, cum Severo ingenium non neget, sed etiam vel inprimis tribuat; et quod caput est nec apparet, quod maxime debet, devictos esse cartha-

Atque tunc primum Maiansium quoquo modo Finestresius novit, miratusque est, ut ab eo accepi, vividum adolescentis ingenium, et mira studiorum cupiditate ac quodam ardore iuvenili flagrans; vix autem ac ne vix quidem, eius usus est consuetudine, cum decennio et eo amplius natu maior alia studia, alias necessitudines sequeretur. Nec illi in mentem venire tunc poterat fore ut multis post annis arctissima cum eo coniungeretur amicitia, quae semel coalita per quinquaginta circiter annos, sine simultate, sine querela, omni officiorum utriusque cultu ad mortem usque par istud amicorum incomparabile prosequuta est.

Interea cum in quamlibet immineret occasionem excolendi omni humanitate animum nactus graecum hominem ei se aplicuit. Erat is patria thebanus praefectus monasterio in Atho monte posito, qui corrogandae stipis caussa, ut fere fit ab eiusmodi hominibus, ad occidentis oras accesserat. Ab hoc cum vix e pueris excessisset, prima didicit graecae linguae elementa, cui tam diligentem statim navavit operam, ut a Thebano homine brevi tempore attica civitate donatus videretur [1]. Adeo vero iam tum in hoc studio progressus est ut Homeri Odysseam non solum diligenter legerit, sed etiam exempli, quo utebatur orae adnotationes illeverit; quod exemplum multis post annis Dovio patri misit, ut haberet Ignatius eius filius in quo dum graecam linguam addiscebat se exerceret, et Homero facilius intelligendo iuvaretur. Atque hic quis non miretur tantam fuisse in ephebo bonitatem naturae, tam rectnm de studiis humanitatis iudicium, ut misera illa reipnblicae et litterarum conditione, cum latinae iacerent, graecae vero musae silerent omnino, tantum studium tantamque operam in his colendis posuerit? Fuit enim in illo graecae linguae non solum accurata cognitio, sed etiam, quod ego expertus sum, scribendi graece et soluta et illigata numeris oratione facultas: quae ab illis initiis iam

ginienses, quod carminis argumentum postulat; quodque peius est victoribus Finestresiis stuporem affigit, cum victoriam ingeniumque celebrare aggressus fuerit. Nec animadvertit si *thyriis* scribatur nihil id ad africana ingenia, si *tyriis* nihil iam ad Finestresios pertinere; unde etiam illud suum perit acumen.

1 Vide Dov. Orat. pag. 38.

adulta, tamen cum eius aetate adolevit, crevitque. Huius suae poëticae graeci carminis facultatis multa dedit documenta, sed praecipue in solemnibus festis ab academia cervariensi in regum nostrorum, aut funeribus, aut in regno ineundo, aut huiusmodi secundis eventibus, fieri de more solitis: nunquam tamen plura, quam in iustis, quae academia Ludovico I. immatura morte e vivis erepto persolvit. Illud vero animadversione dignum, quod ipse de se narrat, scilicet post intermisa diu musarum studia, ubi ad ea tunc rediit, sensisse se pristina illa pangendorum carminum facultate destitutum, quam tamen, adhibita exigui temporis exercitatione, revocavit. Multa quoque graece cecinit in funere Philippi V. academiae conditoris, quae qui apparatum omnem descripsit Blasius Larrazius, edi propter inopiam, quae tunc erat typorum graecorum, non potuisse testatur [1].

Illud etiam maximum est argumentum, quam recte iam tum de omni re litteraria iudicaret, quod philosophicis illis, quae tum tradebantur, subtilitatibus ac inanibus concertationibus parum contentus, mathematicis disciplinis easdem exornare voluit. Ea tum erant tempora, quibus, cum in reliquis nationibus omnes academiae summa contentione matheseos partes omnes excolerent, in hispanis propter temporum calamitatem pauci eam attingerent. Quantae igitur fuit industriae quantique iudicii, in tanta earum artium negligentia, et magistrorum inopia, in iis tamen sese diligenter exercere, nec sustinere, se tam necessario ad maximas res et artes praesidio destitui? Itaque cavit, ne ei a Platone tanquam ἀγεωμέτρῃ academiae aditus intercluderetur. Quin imo perfecit, ut non solum academiae sylvas et licaei spatia inoffenso pede perambularet, sed etiam recentiorum physicorum lustrare academias plerorumque posset, si eos excipias qui non nisi

1 Vid. pag. 83. libri: *Relacion que hace el claustro de la real y pontificia universidad de Cervera á la S. C. R. Magestad del Rey nuestro Señor Don Fernando VI. que Dios guarde, de las reales exêquias que el dia 8. de Octubre de 1746. consagró à la eterna memoria de su muy amado Rey y Fundador Don Felipe V. que de Dios goza. Cervera: en la imprenta de la real y pontificia universidad, por Manuel Ibarra. in 4°.*

initiatos ad sua mysteria admittunt. Etenim iam tum Bionis scriptoris galli tractatum de constructione et usu instrumentorum ad mathesim pertinentium e gallico in hispanum sermonem convertit. Non enim adolescens expers fuit gallicae linguae et doctrinae, quae quidem in hispania, exeunte proxime superiori saeculo et hoc ineunte, non ut hodie pervulgata erat; imo vero propter utriusque nationis continentia bella ortasque ex iis simultates, paucos hic habebat cultores amatoresque. Nec tamen vel hac in re saeculi sui, suorumque civium genio obsecundare voluit. In Bione vero convertendo non solum ostendit, quam esset in mathematicis artibus et linguae gallicae cognitione exercitatus, sed etiam quantum in arte delineandi valeret. Non semel ipse defixis admiratione oculis usurpavi librum illum Bionis ab ipso interpretatum tanta exaratum elegantia, ut typorum chalcographicorum vel praestantissimorum nitorem vinceret. Ab eodem figuras, quibus pro argumenti natura abundat liber, tam scite, tam accurate, tanta venustate, tam graphice lineamentis suis omnibus expressas animadverti, ut non manu, sed ab tabulis aere a summo artifice incisis, chartae appictae esse viderentur. Sed de insigni quae fuit in illo homine graphidos scientia, mox plura. Quod ad mathesim attinet, quamquam Finestresius pro aetate et pro tempore, in ea non perfunctoriam operam posuit, tamen ultra Euclidaeam geometriam non multum processit, ex quo tantum hausit, quantum ad mechanicas artes, et astronomiam, quatenus in usu positae sunt, tractandas opus erat. Fatendum est enim, in tanta horum studiorum luce, caruisse Finestresium his analyseos, et sublimioris geometriae subsidiis, quae necessaria omnino sunt ad difficillima quaeque, ex omnibus desumpta physicarum et mathematicarum disciplinarum partibus, solvenda theoremata. Nam neque in numerorum rationibus paulo plus implicatis subducendis satis exercitatus et subactus erat, ut ipse pro sua modestia fatetur litteris ad Maiansium; algebram vero superiorem et analysim ne attigit quidem. Quod in caussa fuit, cur maiorem in hisce disciplinis diligentiam his subsidiis destitutus non adhibuerit. Quin etiam cum ab amicissimo et doctissimo viro Meermano dono accepisset tractatum ipsius,

in quo de reconditis analyseos arcanis et theorematis agebatur, fassus est, aderam enim cum liber in eius manus pervenit, sese hospitem et peregrinum in ea esse scientia; quare volumen illud bibliothecae academicae dedicavit. Tanta tamen fuit in eo geometriae, aliarumque matheseos disciplinarum cognitio, ut non semel academici senatus decreto, cum consilium aut sumendum esset, aut dandum responsum de rebus difficilibus et quaestionibus, de media geometria sumptis, ad ipsum rei totius consultatio vestigatioque deferretur. Testis ego sum, cum huiusmodi quaestio a senatu regio academiae proposita esset, et eiusdem ille sententiam exquireret, rem omnem ad Finestresium et Iosephum Ponsium delatam esse, in quorum verba senatus academici responsum factum est. Propter eandem cognitionem, ab academia fuit magnificentissimi ipsius aedificii curator designatus, qui pro sua etiam architecthonicae artis peritia illud sartum tectum exigeret et tueretur. Huius autem peritiae argumentum quoque est, quod arcum barensem aliaque antiquitatis monumenta accuratissime, ut mox videbimus, delineavit. Habebat hoc omnino Finestresius, ut mathesim, non otiosam contemplationem, sed vitae subsidium existimaret, et omnia ad usum commodumque revocaret. Manu enim valebat, et artifex erat machinarum omne genus mathematicarum scientissimus. Ille horologia solis, lunae, stellarum: ille astrolabia, tabulas geographicas, planisphaeria, sphaeras et alia affabre moliebatur. Nec id ipse illis ad Maiansium litteris diffitetur [1]. Neque vero futuri iuris consulti

1 Dignissimae sunt quae legantur hae litterae: nam cum Maiansio mira de hac sua omnigena eruditione relata essent, non dubitavit rem totam ab eo quaerere, cum arcus barensis descriptionem ab eodem peteret; ita vero ille multum de laude sua deterens modestissime rescripsit. „Remití 'ait' el diseño del arco de bara, que „demuestra la forma en que hoy se encuentra maltratado del tiempo y de la bar- „barie de los pescadores. No pude antes remitirlo, y aun por falta de tiempo „no pude acompañarlo con carta mia, sino con una copia del mismo arco entero, „y como se encontraba al principio de la centuria pasada::: Ahora remito copia „de algunas memorias de este principado del tiempo de los Romanos::: La poca „habilidad del dibujo y pintura que tube algun dia, ya se pasó: y no es mucho, „pues no la he exercitado de muchos años à esta parte: y lo peor es, que ni ten-

„go

instrumento supervacua credenda est geometriae cognitio. Si enim Tullius et Fabius Quintilianus in oratore quem effingunt omnibus suis numeris absoluto, hanc etiam requirunt scientiam, in qua ille ipse Tullius non mediocrem collocavit operam, quanto id magis in eo desideranda, qui de omni iure respondere paratus est, cum leges de agrorum finibus, de mensuris et ponderibus, de aliis saepe loquantur, quibus explicandis numerorum et magnitudinis scientia multum iuvari potest? Quin et scriptores legum, rerumque agrariarum, de finibus regendis, de aquaeductibus, de camporum limitibus multa disputant, et in geometricis et numerorum rationibus saepe versantur, quae ad huiusmodi solvendos legum nodos valde prodesse facile intelligitur. Praeterea quemadmodum Tullius, quod ipse de se fatetur, ex academiae spatiis, potius quam ex rhetorum scholis ad eloquentiam prodivit instructior; sic iuris consulti complures, iique vel praecipui, e philosophorum ludo, maxime vero e stoicorum porticu ad iurisprudentiam accesserunt.

Sed quoniam de Finestresii in exarandis litterarum formis elegantia memini, tacitus praeterire non possum, quid de eius in hac etiam parte diligentia testetur personatus Censorinus, simul enim et eius in academiam caritas, cui operas suas in rebus etiam parum litteratis

„go ya aficion, ni paciencia, ni pulso, ni vista para hacer lo que en otro tiem-„po. Lo mismo me sucede en quanto à la música instrumental y vocal práctica, „y especulat.va, á que tube particular aficion é inclinacion; de suerte que lle-„vado mas del genio, que del estudio llegué á poner en música villancicos, y „componer symphonias para violines, y obueses, que tañian en Barcelona músi-„cos de capilla en fiestas solemnes: pero ahora lo tengo casi olvidado::: Estoy „tambien muy remoto de las matemáticas, en que me habia en otro tiempo „engolfado, y las hube de dexar por lo mucho que me fatigaba la cabeza; pues „siendo tardo aritmetico, por no haber aprendido esta ciencia desde muchacho, „me embarazaba y cansaba demasiado. No obstante tenia mucha habilidad en cons-„truir qualquier cuerpo artificioso, como reloxes solares de mil maneras, de luna, „y estrellas; astrolabios, y mapas, planisferios, globos &c. Esto lo he referido, „paraque no piense que en mi hay una enciclopedia, y que al presente no tengo las „habilidades que le debió ponderar el maestro Llobera, sino solo alguna sombra de „ellas.“ Haec lucem ad ea quae de Finestresii adolescentia dicenda sunt, afferent.

dicare non erubuit, et eius industria in quamcumque rem animum intendisset, apparebit. Quod licet longo post intervallo contigit, quoniam ad rem de qua agimus pertinet, praevertere satius duxi, non enim annales scribimus sed commentarium: eadem etiam opera qui tum eius de emendata latini sermonis castimonia sensus esset intelligemus. Parentandum erat ab academia cervariensi Maríae Annae Neoburgicae hispaniarum olim Reginae viduae Caroli II. quae an. 1740. e vivis excesserat. Senatus academicus, inquit Censorinus, quamquam erant alii, qui possent maiore cum dignitate onus istud subire, mihi demandavit curam lucubrandi sepulcrales inscriptiones cenotaphio in academiae sacello affigendas. Primarius ille antecessor (is erat Finestresius noster) mihi amicitia et familiaritate coniunctus, qui ut aliis disciplinis et artibus ingenuo homine non indignis erat instructus, ita latinarum graecarumque litterarum figuras calamo scitissime pingebat, onus sibi sumpsit inscriptiones transcribendi uncialibus litteris in charta, quam nos *regiam*, romani *macrocolum* appellabant: veritus fortasse ne parum fideliter ab illitterato pictore describerentur; forsitan etiam ut posset me admonere si quid ego qui tum adolescens eram contra latinitatem peccarem, aut vellem ingeniosus potius quam latinus videri. In altera harum inscriptionum, quas summittebam idemtidem displicuit homini structura quaedam parum emendata, ut ipsi quidem videbatur. Misit statim puerum, quem domi habebat non ineruditum, rogans viderem, numquid aliquid praetermisissem. Cum bis terque responsum accepisset, nihil aut omissum aut prave positum esse, negavit inscriptionem se transcripturum, nisi locum illum adductis antiquorum scriptorum locis confirmarem; neque velle committere ut idcirco in academicorum, criticorumque reprehensionem incurreret. Morem homini gessi, et ut hanc ei relligionem eriperem lucubravi ad multam noctem, inventisque similibus loquendi formulis in Terentio, Plauto, et in iurisconsultis Ulpiano et Paulo locisque adnotatis et transmissis, tum demum vir purae latinitatis amantissimus acquievit. Ita in hanc sententiam Censorinus, quamquam non iisdem sed pluribus verbis, quae

ego meis in pauciora contuli. Non absimile est quod de eodem ibidem narrat: „Novi ego ' inquit ' primarium iuris civilis antecesso„rem virum doctissimnm (quem ego Hispaniae Tarraconensis Varro„nem solebam appellare, nisi quod elegantius quam Varro latine „scriberet) qui quovis pretio expuncturum, si posset, affirmabat, „unum aut alterum verbum dubiae latinitatis quod sibi excidisse ar„bitrabatur in libris doctissimis et eruditissimis iurisprudentiam illu„strantibus. Tanta relligio (an superstitio ?) hac in re incesserat ani„mum viri eruditi." Haec totidem verbis Q. Moderatus Censorinus in opere quem de vita et morte linguae latinae inscripsit. Fuit is Matheus Aymerichius qui anno proxime elapso (1799.) obiit Ferrariae octuagenario maior. Et quoniam academiam cervariensem et philosophiae professor, et scriptis editis illustravit et coniunctissime cum Finestresio vixit, huiusque nonnulla laus cum illius laude copulata est, non erit ab instituto meo alienum ipsius memoriam paucis excitare. Natus est Matheus Aymerichius in tractu emporitano in indigetibus mense Februario an. MDCCXV. genere non illo quidem illustri, sed tamen antiquo et honestissimo, cuius inter maiores censetur ille Nicolaus Aymerichius, qui nomen suum apud posteros celebravit edito libro, qui *Directorium inquisitionis* inscribitur, quique apud rariorum voluminum curiosos homines raritatis nomine commendatur. Aymerichius noster decursis, non sine laude ingenii non vulgaris, philosophiae et theologiae spatiis, societatem Iesu ingressus est, cum antea utriusque facultatis periculum de more subiisset. In ea, post traditas humaniores litteras, sexennium e loco superiore philosophiam magna auditorum frequentia Cervariae tradidit. Testantur theses, quas, ut mos est, tunc edidit, sequutum eum fuisse philosophandi genus paullo doctius et eruditius quam pro scholae illorum temporum inolita consuetudine; primumque aut inter primos praeluxisse ad illam emendatam philosophandi rationem, quae deinceps sub Thoma Cerdano, Iosepho Ponsio, aliisque viguit, et nunc maxime viget. Has theses cum Finestresius ad Maiansium misisset eas hic litteris ad illum datis, ob earum sermonis elegantiam et disciplinam

DE VITA ET SCRIPTIS

IOSEPHI FINESTRES ET DE MONSALVO

COMMENTARIORUM LIBER PRIMUS.

Iosephus Finestresius natus est Nonis Aprilis an. MDCLXXXVIII. Barcinone principe cataloniae urbe et nobilissimo emporio. Patrem nactus est Petrum Ioannem Finestresium ex oppido Agrimontensi in Lacetania. Eum non ignobilem fuisse I. C. vel ex eo constat, quod relicta patria Barcinonem migravit, ut de iure consulentibus responderet caussasque ageret in foro, ex quo ab omni catalonia responsa et iura petebantur, quodque non solum a pragmaticis, sed etiam ab antecessoribus academiae quae tunc ibi sedem habebat suam, celebrabatur. Id quod satis ostendit quantum in arte sua confideret, quam non dubitaret in tanta celebritate profiteri. De ipsius rebus gestis nihil praeterea magnopere accepimus; honestissimo tamen loco natum esse, et magnam de se existimationem excitasse in iure cavendo caussisque defensitandis satis liquet, cum nobilem foeminam Mariam Victoriam Monsalviam, quam ei nuptum dedit Honufrius Monsalvius, duxerit uxorem. Is enim non solum ex eo erat nobilitatis ordine, quos cives honoratos barcinonenses vocant, sed etiam utramque capessivit et litterariam et civilem rempublicam. Nimirum et medicinae et philosophiae doctor fuit, quodque maius est ingenuarum artium collegii in gymnasio barcinonensi princeps. Idemque quanta et dignitate et auctoritate floreret; quantumque eius prudentiae et rerum gerendarum dexteritati tribueretur, inde constat, quod eius fidei virtutique res maximas cives sui difficillimis temporibus administrandas tradiderunt, ut facile inter principes civitatis viros haberetur. Nam cum anno MDCLXXXXVII. bellum exarsisset inter hispanos gallosque, rumorque increbuisset ducem Vindocinensem gallorum imperatorem ad obsidendam Barcinonem admovere exercitum,

decemviri creati sunt, qui urbis ac provinciae totius defensioni praeessent. In istorum numero fuit Honufrius Monsalvius noster, et summum hunc magistratum ita gessit, ut saepe alias tum in decemvirorum, tum in quindecimvirorum collegium cooptaretur. Ea enim erat tunc reipublicae nostrae forma, ea potestas imperii, ut quoties de expediendis rebus difficillimis ageretur toties eiusmodi instituerentur collegia, ut a centumvirorum senatu ad paucos delectosque viros res rediret, qui non iam obstrepente tanta hominum multitudine rem omnem procurarent. In huiusmodi collegia adlectum fuisse saepissime Honufrium ap. annal. catalan. scriptorem Narcisum Felivium invenimus [1].

His ortus maioribus Finestresius maximo natu fuit ex septem fratribus, quos omnes honoribus, rebus gestis, et litterarum pietatisque laude florentes vidit, iisque et quatuor sororibus diu raro exemplo ne dicam felicitate in tam calamitosa iactura, superstes fuit. Sed de ipsius germanis fratribus eorumque in litteras et ecclesiam meritis non semel erit dicendi locus, ne vitae eius laus haud mediocris indicta sit; quoniam toti quanti fuerunt fratris natu maximi institutioni magna ex parte se debere prae se ferebant. Nondum exacta pueritia qua erat Iosephus docilitate ingenii mature traditus est patribus Soc. Iesu litteris in collegio cordellensi erudiendus. Frequentabantur illa tempestate bina humaniorum litterarum gymnasia, quorum alterum pars erat academiae barcinonensis, quam vulgo universitatem appellant. Ludus iste litterarius, quod constat inter omnes, toto ferme saeculo XVI. maxime floruit. Sed partim ob bella intestina, quae ab anno MDCXXXX. per decennium cataloniam aflixerunt, partim ob contagiosam luem, quae bellum consequuta diu grassata est, vix quidquam splendoris antiqui retinuerat. Memini me audisse non semel ab ipso Finestresio priscam illam litterarum elegantiam, in tricas quasdam grammaticorum, et ineptias se puero defluxisse. Reliquum erat collegium cordellense patrum Soc. Iesu, in quo, non quidem omnino incorrupta litterarum cultura florebat neque parum ex XVII. saeculi contagione contraxerat vitii, sed tamen antiqua illa docendi disciplina,

1 Anales de Cat. Lib. 21. y 22.

et optimorum aetatis aureae scriptorum interpretatio illi malo, ne prorsus serperet, quodammodo medebatur.

Hos igitur cum admodum puer audiret institutores propter incredibilem ingenii celeritatem facile inter condiscipulos eminebat, cuius suae docilitatis ingenii illustre afferre possumus documentum. Grammaticas enim institutiones accepit a Francisco Paschali; cumque ludus eius a primariae barcinonensis nobilitatis flore celebraretur, hic tamen Iosephum propter egregias ingenii dotes, quibus in percipiendis, quae tradebantur, ceteris plerisque praeibat, praecipuo quodam amore diligebat. Id ipse non sine grata praeceptoris sui recordatione litteris ad Gregorium Maiansium datis testatus est. Idem tamen quo erat animi candore non probabat, ut ab eo audivi, in praeceptore suo quod institutiones grammaticae onerasset potius quam locupletasset novis observationibus, non malis illis quidem, sed primae puerorum institutioni parum opportunis, quorum ingenia, aiebat, non tam tricis huiusmodi atterenda erant, quam priscis auctoribus enarrandis, imitandisque exercenda [1]. Latinae linguae elementis pro-

1 De prima institutione sua extat lectu et observatione dignissima ad Maiansium epistola, cuius partem describendam duxi ut ea rebus quae narrandae erunt certissimum dicat testimonium. „Respondo" inquit" al interrogatorio que me hace „V. de mis maestros de gramatica. Digo con toda verdad que fueron muy habi-„les, pero yo no gustaba sino de poëtas latinos. En todo el tiempo que cursé letras „humanas no tuve habilidad para componer en prosa, de suerte que el Padre Fran-„cisco Pasqual que fue mi último maestro, y me estimaba entrañablemente, viendo mi „mal latin suelto, me reprehendia, instandome varias veces que dexase tanto verso, „y me dedicase á la prosa, trayendome á la memoria lo que á Ovidio decia su Padre

. . . . Studium quid inutile tentas
Meonides nullas ipse reliquit opes.

„Pero estaba yo tan ciego en la poësía, que nada aprovechaban sus consejos. En tiem-„po que estudiaba filosofía aun proseguia mi aversion á la prosa, á que despues „poco á poco me aficioné leyendo algunos autores antiguos y modernos. De Ciceron „leí poco: de aquí sin duda viene que yo no tengo estílo, ó si tengo es seco „sin amenidad ni lepor" &c. Ex iisdem litteris constat ab Appulei, Gellii, Macrobii lectione non abhorruisse. Ex litteris ad Dovium Terentio valde delectatum et Plautum lectitasse cognoscitur. Quod de stilo ait eius modestiam licet agnoscere. Quid de eo sentiendum sit mox exponam.

be perceptis ad oratoriae facultatis et poëticae ludum accessit. In eodem collegio cordellensi artem rhetoricam profitebatur ingenti cum ingenii et doctrinae opinione Iosephus Rocabertinus. Ortus ille ex generoso illo procerum ordine, quos magnates appellant, antiquissimam generis nobilitatem non vulgari eruditione, ut tum erant tempora, exornabat. Cuius rei testis ipsa barcinonensis civitas. Haec enim cum mortem Caroli II. Hispaniarum regis magnifico funere prosequi, et regem carissimum supremo amoris munere donare vellet ad Rocabertinum confugit, qui pompam magnifice instrueret, et omni carminum genere decoraret. Extat etiam num iustum ab eo conscriptum volumen inscriptum: *Planctus civitatis barcinonensis in funere Caroli II. Hispaniarum regis*, in quo et funeris ordo vernaculo sermone describitur, ornamenta omnia recensentur, carmina et latino sermone, et hispano tum a magistro tum ab eius discipulis elaborata exhibentur. Quo in libro neque ingenii et elegantiae lumen, neque utriusque linguae splendorem magnopere desideres, quamquam nec ab affectatis argutiis, et stili luxurie difficillibusque nugis expers omnino sit, quae vitia illis temporibus universa fere huiusmodi scripta invaserant. Minus tamen fucata sunt latina, elegiae praesertim, quarum nonnullae valde sunt probabiles et plenae affectibus, quam vernacula; id quod versandis in ludo optimis latinitatis exemplaribus tribuendum esse, superius etiam observavi. Huiusce rhetoris disciplinae traditus est Finestresius noster cum esset etiam tum infantiae affinior quam pubertati. Ac sane iam tum in puero ea quam Ovidius de se narrat, pangendorum versuum mira et poene extemporalis facultas se prodidit; et quod magis mirandum sit non latine solum sed etiam hispanice puerulus catalaunus, versus mira facilitate nec sine quadam, ut tum erat aetas, elegantia fundebat. Huiusce sui praecocis poëticae artis studii specimen quoddam editum extat in rhetoris sui illo volumine, de quo supra retuli. Quod cum primus sit ingenii sui foetus, et a puero vix dum duodecimum annum egresso profectus, operae pretium visum est ex eo volumine, quod valde infrequens est, et in paucissimorum versatur manibus, hic lectoribus denuo exhibere.

DE MORTE CAROLI II.

Epigramma.

Stamina dum regis fatalia numina volvunt
Cunctorum votis prospera fila negant.
Fallaci auspicio Carolum dant sorte secundum
Nescia dum flecti tristia pensa movent.
Non licet auspicio felici fidere; nam sors,
Prospera dum versat, versa deinde negat.

Non solum autem puer et vix ephebus, sed et deinceps in primo adolescentiae flore vehementi poëticae amore flagravit. Huiusce studii suavitate, quasi quodam sirenum cantu ita delinitus fuit, ut nil tum nisi mera carmina creparet. Inde fiebat ut musarum captus illecebris ab omni solutae orationis abhorreret exercitatione. Id aegre ferens amantissimus ipsius praeceptor, de quo supra meminimus Franciscus Paschalis, dolensque egregium adolescentem ad optimas quasque capessendas artes natum illis quasi sirenum scopulis adherescere, eum hortabatur, ne se ingeniumque suum illis deliciis corrumpi sineret: stilum potius orationi poliendae cuius usus esset in ceteris disciplinis, exerceret. Sed surdo canebat, quod ipse candide fatebatur, nec adduci poterat ut ad hoc scribendi genus se accingeret. Ut Ovidianum illud:

Saepe Pater dixit studium quid inutile tentas,

iure in ipsum, nec minus quae sequuntur, caderent

Motus eram dictis totoque helicone relicto
Scribere conabar verba soluta modis;
Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam scribere versus erat.

Hinc minus mirum videri debet, Finestresium inter ceteros latinos poëtas Ovidium prae ceteris habuisse in deliciis. Effecerat etiam illum assidue lectitando, ut eius opera memoriter ex tempore recitaret. Quin et quovis pignore contendebat, quemcumque illius poëtae versum quis recitare inciperet, se cetera e vestigio adnumeraturum. Fuit enim incredibili memoria quam etiam adhibita arte auxit. Sed de hac

re deinceps; quod autem ad poëticam suam facultatem attinet, non poterat non prae ceteris amare poëtam illum, cum quo eius ingenium incredibili modo consentiebat. Quod si Finestresius musarum sacra prae ceteris excoluisset, carmina eius omni fuissent lepore et elegantia condita, multis ingenii distincta luminibus, dulcia, arguta, numerosa. Sed sedatissima illa Finestresii mens et animus tranquillissimus, nunquam poëtam illum in sese expressisset, qualem, alias quoque, sed praesertim in Ione, spiritu instinctus poene plusquam poëtico describit Plato; vatem inquam qui divino quodam afflatu et entheo furore agitatus quasi extra se raptus vivas illas et insignitas imagines animique affectus concipit, quibus se in omnes rerum species et miracula transformat. Et sane omnia quae extant poëtica ipsius specimina, illam potius ovidiani carminis facilitatem et copiam exprimunt, quam homericam granditatem. Nec vero, quamquam in latinis vatibus evolvendis imitandisque plus posuit operae quam in vernaculis, expers tamen omnino voluit esse huiusce quoque suavitatis. Quin etiam ab extrema pueritia, ad ultimam usque et longaevam senectutem, quoties sese dabat occasio, versus hispana lingua mirabili facilitate fundebat [1].

1 Non alienum erit ab instituto nostro Finestresii carmina hispana transcribere quorum alterum poene duodennis puer edidit, alterum octuagenario maior. Primum sic habet:

EPITAFIO A CARLOS II.

Yace aquí poderoso un gran Monarca,
De España Rey, de Barcelona Conde.
O quanto, quanto encierra sola una arca!
O quanto, quanto un ataud esconde!
A que aspira mortal tu fantasía?
Ya te llegará á tí tambien el dia.

Extat pag. CCLVI. libri laudati: Lagrimas amantes de la Exma. Ciudad de Barcelona, con que agradecida::: demuestra su amor y dolor en las magnificas exêquias que celebró::: á la memoria de su difunto Rey y Señor Don Cárlos II. Descríbelas de órden de la Exma. Ciudad el P. Jos. Rocaberti de la Compañía de Jesus, Maestro de Retórica en el Imperial Colegio de N. Sra., y San-tiago de Cordellas. Barcelona en la Imprenta de Juan Pablo Martí, por Francisco Barnola, Impresor. Año 1701, in 4°.

Alte-

Neque vero in exigua adolescentuli Finestresii laude ponendum est, quod in eius complexu et sinu alti fuerunt eductique fratres ipsius minores natu. Nam cum pater mature obiisset Iosephus maior natu et matris orbitatem omni pietatis officio sublevare aggressus est, et florentissimae fratrum soboli ducem se et magistrum ad ingenuas artes et optima quaeque studia, non tam germani fratris, quam poene parentis loco se praebuit. Quanto cum successu, et alias saepe dicendnm erit, et vel in ipsa pueritia apparuit. Testem huiusce rei Gregorium Maiansium appellare possum sane idoneum. Is cum et paterna, et materna generosa stirpe iam ab antiquissimis temporibus originem e Catalonia duceret, Valentia Barcinonem nescio qua de

Alterum ex tempore effudit in grati animi significationem cum dono accepisset exemplum Salustii, cum eius interpretatione, nitidissimae supra quam dici potest editionis et numeris omnibus absolutae, sive candidissimae chartae et splendidissimae nitorem, sive formarum elegantiam, sive artis typographicae peritiam, sive emendationem consideres; quod quidem donum beneficio cultissimi interpretis Ser. Principis Gabrielis Borbonii, commendatione autem doctissimi viri Francisci Perezii Bayerii acceptum referebat. Maximum sane argumentum quanta existimatione Finestresii fama floreret; cum eo munere non nisi principes vel in republica vel litteris et doctrina viri bearentur. Versus sunt huiusmodi.

Si Salustio reviviera
para ser historiador
en Español escribiera,
si en este idioma supiera
imitar al traductor,

Su plebeya condicion
nada à Salustio le daña;
porque en esta version
es nieto por adopcion
del gran Monarca de España.

Quodque magis festivum senis prodit ingenium et patria lingua, et latine eodem impetu sic lusit.

Per sa secta y mal obrar
fonch Salusti un infiel
pero ja un Angel me apar
desde que'l sento parlar
per boca de Gabriel.

Hispanus Crispus minor est aetate latino,
Ore haud inferior, more et honore prior.

Quae quidem commemorare volui non quod aliquod leviusculis hisce iocis et quisquiliis statuam pretium, sed quo hominis ad extremam senectutem amaenitas naturae iucunditasque appareret.

caussa, etiam tum puer commigravit. Ibi cum in eodem ludo una cum duobus Finestresiis fratribus Mariano et Iacobo, eosdem audiret praeceptores, hoc de horum ingenio testimonium dicit. Iuvat enim ipsis uti verbis eruditissimi viri: "Quum puer ' inquit ' operam darem "humanioribus litteris ita adolescentium egregiorum Mariani et Iaco- "bi Finestres communicatione delectabar, ut nihil mihi aeque "esset in deliciis ac consuetudo illa. Videbam eos eminere inter con- "discipulos omnes incredibili modestia, eruditione autem in illa "aetatula ita praestantes esse, ut secum ipsi contenderent, ceteros "omnes longo anteirent spatio. Denique tantam doctrinam in illis "suspiciebam, ut venerarer eos supra magistros meos" [1]. Hactenus ille qui illam tantam doctrinae laudem institutioni Iosephi potissimum acceptam referri oportere saepe testatur. Praeclare quidem de Finestresiis fratribus; quod vero postremo in loco posuit, mihi, credo item aliis, prorsus non fit verisimile. Sed nimirum hic fuit perpetuus viri magni mos, famae obtrectandi institutorum suorum; quasi sic αὐτοδιδάκτε gloriam affectaret, iisque artibus indigeret ad litteratissimi in paucis scriptoris tuendam opinionem tot aliis scriptis et lucubrationibus quam optimo iure comparatam. Aliud etiam documentum Gregorio Maiansio in acceptis referimus, et poëtice Iosephi Finestresii illis iam tum temporibus facultatis, et fratrum suorum in litteris addiscendis industriae singularis: epigramma scilicet Iosephi nostri missum ab eodem Maiansio Raymundo Dovio, quod is in oratione in funere illius habita descripsit. In more positum fuit in scholis Soc. Iesu ad exacuendam discipulorum industriam et animorum excitandam alacritatem, ut pueri in duas quasi hostiles acies descripti de parvulo illo litterarum principatu, ut olim de orbis terrarum imperio Roma atque Carthago, contenderent. "Is ' (scilicet Maiansius) verba audis Dovii "cum puer esset in ludo "litterario, distincta, ut fieri solet in duas acies scholastica puero- "rum militia Imperator Carthaginiensium erat; Marianus Finestresius "primum locum obtinens censoris munere fungebatur, Iacobus Fi-

1 Vde Greg. Maiansii Epistol. Lib. IIII. Epist. 1. pag. 171.

ac in re philosophica non de scholae vulgo eruditionem commendavit. Sic enim ait: „vehementer laetor aditum bonae physicae in academia „aperiri, ut theses aymerichianae declarant; non minus mihi pro„batur non deseri prorsus Aristotelem, qui in scientiis ad rationem „pertinentibus parem habet neminem" [1]. Quare egregiis ludus eius discipulis floruit, quorum nonnulli eandem aliasque scientias in ipsa academia multa cum laude professi sunt. Confecto sexennii philosophici curriculo paulo post iussus est a Societatis moderatoribus theologiam tradere Barcinone. Ibi resumpsit in manus prolusiones philosophicas Cervariae habitas, retractatasque edidit. Huic operi debet cervariensis academia quod laudum suarum praeconem nacta fuerit eloquentissimum rhetorem Hieronimum Lagomarsinium, cuius praeconio multorum eleganti eruditione et doctrina illius professorum late per Italiam aliasque provincias fama vulgata est. Has ante editionem contulit auctor cum Finestresio, qui et probavit, eiusque probatio prolusionibus ipsis praemittitur. De ea praeclarum extat apud Lagomarsinium iudicium: „eius (Finestresii) ego 'inquit' non „nisi iudicium de Aymerichii opere censuramque legi, sed leonem „ex ungue ut est in proverbio, statim agnovi. Pauca illa tam docte, „tamque eleganter scribere non potest, qui non multa docte et ele„ganter scribere assueverit; nec qui se tam excellentem dicendi arti„ficem in brevi scriptione prodit, eius aeque excellens artificium po„terit in quamvis longa oratione desiderari." Tueri se quoque possunt iudicio duorum criticorum in his studiis versatissimorum Maiansii et eiusdem Lagomarsinii. Ille litteris ad Finestresium laudat quidem cetera omnia, sed in primis praefationem criticam. „Accepi 'inquit' Aymeri„chii prolusiones philosophicas. Credo iam antea me scripsisse, dedica„tionem operis et prologum placuisse mihi supra quam dici aut exprimi „potest. Addo etiam ubi fastidium me ex molesta quadam lectione cae„pit cum abstergere illud volo, legere libentissime prolusiones ser-

1 Carta de 28 de Mayo 1748. alibi vero ait: „si despues acá ha habido con„clusiones semejantes á las del P. Aymerich de qualquier ciencia podrá Vm. dirigir„las á mi, que aprecio qualquier lucimiento de esa universidad."

„mone facili, puro et amaeno conscriptas". Hactenus ille.[1] Hic in prosphonesi ad academiam cervariensem volumine secundo epistolarum Poggiani: „legebam 'inquit' Matthaei Aymerichii humaniorum primum „litterarum tum philosophiae in academia vestra professoris prolusio„nes philosophicas:: Deus immortalis! ut sum continuo exquisita ac „singulari hominis doctrina atque eruditione praestantique latini ser„monis elegantia delinitus ac captus! Tantum is mihi studuisse rebus „atque doctrinae visus est, ut non satis temporis ei ad studendum ver„bis atque elegantiae relinqueretur; tantum rursus in verbis atque ele„gantia studii posuisse, ut quod illi tempus ad res atque doctrinam com„parandam superesse potuerit non viderem... Et inferius: „viso heic „Romae Aymerichii libro, cuius ego legendi potestatem doctissimis „quibusdam viris copiamque feci:: multiplicem auctoris eruditionem cum „exquisita ac plane ciceroniana eloquutione coniunctam vehementer „admirati, illud etiam mirari non desierunt cur hispani homines:: in „his eruditionis et litterarum divitiis cum Italia reliquaque Europa „communicandis tam sint restricti et propemodum avari." Ita Lagomarsinius, qui et bene longum recitat prolusionum locum, ad iudicii sui veritatem comprobandam. Sed, ut dicam quod sentio, homo nimis ostentator eruditionis suae, dum nihil vult perdere, et currente etiam praelo quae denuo succurrunt, infersit, cursum orationis debilitat et frangit. Post emissas prolusiones sapientissimus praesul Ascensius Salesius seriem episcoporum barcinonensium, purgatam fabulis et erroribus, texi ab erudito viro desideravit. Hanc provinciam Maiansio delatam, cum ille deprecatus esset, magna alacritate suscepit Aymerichius, probantibus summis viris Maiansio et Finestresio. Rem magno studio aggressus haud multo post accurata indagine multisque laboribus absolvit, librumque praelo commissit. In hoc non nuda episcoporum chronologia continetur: multa in eo antiquitatis capita illustrantur, multa quae latebant eruuntur, vindicantur dubia, omnia firmis, quantum fieri potest documentis fulciuntur. Maiansius ipse quamquam ab eo aliquando dissentit, pul-

1 Carta de 12 de Junio de 1756.

cherrimum opus appellavit, idque unum in tam pulchro corpore reprehendit, quod Hieronimum Higueram ab imponendi hominibus voluntate, licet non ab errore liberavit; quasi non optandum sit hominem relligiosum nec ineruditum deceptum potius quam deceptorem fuisse. De eodem vero opere Cl. Seckenbergius litteris ad Maiansium: "Aymerichii' inquit' gesta episcoporum barcinonensium erudite et eleganter scripta placuerunt." Interea nactus in collegio societatis Iesu codicem manu exaratum docti viri Petri Egidii S. I. in quo erant adversaria, ubi multa de rebus ad naturalem cataloniae historiam pertinentibus erant adnotata, copiose et diligenter conquisita, illum retractandi edendique onus subire non detrectavit. Hoc saxum per multos annos volvit: nam cum ex professore theologiae, collegio cervariensi societatis Iesu praefectus esset, non destitit dilligentissime perquirere, et observare quae commentarium illum supplere, emendare, perficere possent. Quamquam potius sylvam rerum quam iustam naturalium rerum historiam, ad delicatum huiusce temporis palatum digestam exhibuit. Non enim naturae partes, quas vocant regna, ad quaedam systemata, classes &c. accurate digessit, in quo adeo nunc laborat recentiorum industria, ut verendum sit ne historia naturae in meram nomenclaturam evadat. Verum etiam sine hac dilligentia, materiam praebuit quidem iis qui vellent et possent ea in ordinem tribuere, et nominibus e systemate aliquo petitis insignire. Per idem tempus nactus est alium codicem Ignatii Garzonii S. I. doctissimum scilicet in Idatii fastos commentarium. Vir iste integerrimae vitae, et pertinacis studii, multa in eo observavit, quae alibi frustra quaeras; multa detexit et emendavit sphalmata summorum chronologorum Pagii, Natalis Alexandri, Papebrochii, aliorum. Toto illo triennio quo collegii cervariensis clavum tenuit familiarissime cum Finestresio, ut cum nemine magis, vixit. Cum eodem utrumque codicem contulit, eiusque et consilio et luminibus usus est, ut digni essent editionis, et hodiernae huius litterarum lucis. Elapso triennio collegii gandiensis rector, et academiae gymnasiarca designatus Gandiam profectus est. Ibi Maiansium,

cui iamdiu erat studiorum communione, et Finestresii amicitia commendatus, iucundissima etiam sibi devinxit consuetudine. Multa tum vir litterarum amantissimus meditabatur, quae ex litteris Maiansii intelligimus. Nam et typographiam instituere, optimosque libros in publicum emittere in animo illi erat. Historiam quoque illam naturalem, fastosque Idatianos novis semper lucubrationibus expolivit. Quin etiam Matritum venit, ut in urbe principe amicorum auxilio, et procerum quorundam favore rem omnem facilius expediret. Sed dum in eo est, spes omnes intercepit calamitas illa, quae eum sociosque a sedibus suis avulsos, in longinquas regiones amandavit. Delatus in Italiam post varios terra marique errores domicilium rerum suarum Ferrariae posuit. Ibi otium, quo plus etiam quam optaret, abundabat legendo scriptitandoque oblectavit. Frequens aderat in publica bibliotheca plurimis referta et selectissimis libris. Ibi ego optimum senem, cum eidem essem praefectus, saepe miratus sum docta omne genus exemplaria volutantem, excerpentem, referentemque in adversaria. Extat fructus indefessi laboris sui in iis quae edidit voluminibus. Ac primum publici iuris fecit Q. Moderati Censorini nomine librum: *de vita et morte linguae latinae.* Non facile quis auctoris scopum ex libri fronte introspiciat. Nimirum contendit vir doctus, sed παραδοξότατος, non solum vivam adhuc esse spirantemque linguam latinam, sed etiam vigentem, integramque. Fas etiamnum iusque esse, et antea fuisse novis eam verbis, dicendique generibus ditare. Quae quidem omnia essent probabiliora, nisi nimis amplam fenestram aperuisset novaturientibus ingeniis ad sermonis latini splendorem verbis alienis ubi suppetunt domestica infuscandum. Nec vero ipse iure, quod aliis tulit non etiam usus est: quod si non nimis indulsisset sibi, et quaedam supervacua resecare voluisset, melius sane latinitatis elegantiae consuluisset, nec quicquam de copia detereret. Hinc factum est ut in varia interque se pugnantia iudicia incurreret, probantibus aliis, aliis quo haec tanta licentia erumperet formidantibus. Melchior Caesarottus erectioris animi vir, novarumque rerum in litterarum republica studiosus, qui praeclara Ossiani vel potius pseudo-

Ossiani italica ex anglo interpretatione poëtica aliisque scriptis, licet non τῦ αὐτῦ κόμματος, magnum merito nomen consequutus est, quique iugum quod academici florentini scriptoribus italis imposuerant ferret impatienter, Censorino applausit cancellos, quos nimis relligiosi homines latinae linguae circumdederant, deiicienti, eiusque fines proferenti. Quin immo modeste testatus est se quoque rem eandem animo agitasse, sed factum bene quod ille occupasset, cui ipse ultro in hac re fasces summitteret, remque totam confecisset maiori doctrinae apparatu, quam a se exspectari potuisset. Contra vero Clementinus Vanettius iuvenis confidentissimus, censorque non populi, sed suo paucorumque suffragio creatus, non tamen latinarum italicarumque litterarum expers, Censorinum ea de re horatiano italico sermone male accepit. Nec impune; Censorinus enim emisso in publicum italice conscripto parnasii nuntio iuvenem praefidentem bocaliniano sale ita perfricuit, ut eum eiusque asseclas obmutescere coëgerit. Aggressus deinde Aymerichius rem maioris molis bibliographiam latinorum ab urbe condita scriptorum, quorum opera, aut tota perierunt, aut quorum fragmenta tantum extant [1]. Dignum sa-

1 Editiones operum sunt:
Matthaei Aymerich Hispani e soc. Iesu theologi prolusiones philosophicae: seu verae et germanae philosophiae effigies criticis aliquot orationibus et declamationibus adumbrata. Barcinone apud Paulum Nadal an. 1756. in 4°.

Eiusdem: nomina et acta episcoporum barcinonensium binis libris comprehensa, atqne ad historiae et chronologiae rationem revocata. Barcinone apud Ioannem Nadal an. 1760. in 4°.

Eiusdem sub nomine Q. Moderati Censorini: de vita et morte linguae latinae paradoxa philologica criticis nonnullis dissertationibus exposita asserta et probata. Praemittuntur et interseruntur colloquia de rebus ad humaniores praesertim litteras spectantibus cum adiunctis adnotationibus. Ferrariae typis Iosephi Rinaldi an. 1780. in 8°.

Eiusdem: relazione autentica dell' accaduto in parnasso, sic come intorno il processo di Lagarinio accademico occulto, e del di lui sermone ossia satira, cosi della sentenza e condanna emanate dalla Ruota criminale ad istanza de' calunniati da detto Lagorinio &c. Ferrara presso Guiseppe Rinaldi an. 1782. in 8°.

Eiusdem: specimen veteris romanae litteraturae deperditae, seu latentis, in quo scrip-

ne argumentum in quo etiam post Aymerichium alicuius docti viri elaboraret industria, et maiori librorum eruditionisque copia accuratius et scriptorum argumenta, et merita, et fragmenta adhibito examine critico recenseret. Nam licet subsidia multa ad rem pertinentia non desint, nemo id tamen pro dignitate tractavit. Quin etiam Tiraboschius in eleganti et erudita litteraturae Italicae historia levissime id egit: ut vel ea demostrant quae ad Romanorum scenicos ludos, fabulasque pertinent, in quibus se iactare potuisset, quaeque vix levi brachio attingit, Terentium et Plautum, et alia vulgo nota enarrare contentus. Nec vero non multam reportavit laudem Aymerichius, tum ab aliis, tum ab doctissimo viro Ansseo Villaisonio, qui eius non sine honoris praefatione meminit in eruditissimo prologo, quem praemissit venetae scholiorum graecorum e M. SS. codicibus bibliothecae S. Marci erutorum editioni. Verum maius operae praetium fecisset, nisi nimis rerum suarum amator, eas ubi nemo exspectaret praedicasset sibique praeconium cecinisset; si parcius in alia omnia digrederetur, minus hic quoque paradoxis indulgeret opinionibus, et in rei cardinem acrius intendisset. Post evulgatum hoc opus, cum octuagessimum quintum fere annum cruda adhuc, ut ita dicam viridique senectute ageret, subito tanta vis morbi in eum incubuit, ut motu paene omni, sensuque et animi et corporis defectus, cum ita aliquot menses decubuisset, tandem eo pietatis sensu, qui a viro relligiossimo exspectari par erat, ex-

scriptores quorum opera aut non extant, aut eorum tantum supersunt fragmenta recensentur adiectis plurimis adnotationibus. Bassani apud Iosephum Remondini an. 1784. in 8°. m.

Opera autem inedita sunt:

Historia natural de Cataluña por el P. Pedro Gil de la compañía de Iesus revista y muy añadida por el P. Matheo Aymerich de la misma compañía en 4°. 3. vol.

Ignatii Garzonii e soc. Iesu commentarii in Idatii fastos consulares. Mattheus Aymerichius eiusdem soc. opus recognovit, auxit et supplevit in 4°.

Praeter theses philosophicas, de quibus supra et cuius notam editionis non novi, alia quaedam in adversariis habebat partim affecta, partim iam perfecta, quae quia mihi parum nota sunt in medio relinquo.

cessit e vita anno MDCCLXXXXVIIII. Haec gratae hominis memoriae, quo cum me non unum necessitudinis vinculum coniunxit, paulo fusius dedisse, lectoris mihi humanitas quemadmodum spero, condonabit. Sed iam ad eius amicum Finestresium redeamus.

Tantam illi tribuisse Aymerichium in pingendis scite litterarum formis elegantiam minus mirabitur, qui noverit eundem in graphidos et pingendi arte fuisse exercitatissimum. Neque vero quis existimet mediocrem in eo fuisse huiusce artis cognitionem, qualis esse solet eorum, qui tabularum signorumque idonei dumtaxat existimatores haberi volunt. Non ea erat Finestresii in excolendis artibus mens, non is animus: homo discendi cupidissimus, ipsa artium penetralia scrutabatur summo studio, nec cognitione contentus, manum etiam operi admovebat, ut non solum linearum ductus graphio peritissime sequeretur, lineasque modo corporum duceret, sed etiam penicillo colores appingeret. Fuit hoc etiam felicitatis, quod eius adolescentia incidit in tempus in quo Antonius Viladomarius Barcinonem picturis elegantissimis ornabat, de quarum praestantia testis esse potest vel Italus ille e Hieronimiana familia minime blandus rerum nostrarum spectator, qui in Odaeporico hispaniensi, quod *vagi itali* nomine edidit, in Barcinonis descriptione in laudes Viladomarii saepius excurrit. Nec vero tantam oportunitatem praetermissit vir omnem proficiendi ansam arripiens, quin eum assectaretur, multa disceret, plura observaret, in interiora artis adyta penetraret, et paene pictor evaderet. Qua re id consequutus est, ut et lineandi arte floreret, et de tota pictorum arte docte et intelligenter iudicaret. Extant etiamnum effigies quaedam ab eo delineatae affabre admodum et accurate. Nec vero minus describendis graphio antiquitatis monumentis hanc suam prodidit facultatem; cuius extant praeclara in Maiansii latinis epistolis documenta, quae quia cum multis Finestresii laudibus coniuncta sunt, iisdem doctissimi viri verbis a me quoque memorabuntur. Ioannes Baptista Schombergius vir nobilissimus huiusmodi monumenta quotquot reperiri possent a Maiansio ad se mitti undique collecta postularat. Hic

cum quaedam transmisisset : „ut obtinere possem ' inquit ' cetera „antiquitatis monumenta unicum mihi confugium erat ad Iosephum „Finestresium praeclarissimum catalauniae decus. Hic missit mihi de„scriptionem columnarum , quas vulgus Herculis appellat , quaeque „extant Barcinone , quarum situs arguit fuisse illas in porticu ali„cuius templi. Praeterea vir eruditissimus diligentissimusque delinea„vit turrim , quae Scipionum solet appellari , propterea quod in eius „lateribus sunt duo mancipia , quae heri sui videntur deplorare „funus ; et haec imperitum vulgus Scipiones esse existimavit... Vir „idem exactissimus delineavit etiam manu sua arcum vulgo *de Bará* „secundum figuram quam habebat anno MDC. aut circiter. Quo tem„pore arcum illum vidit descripsitque Hieronimus Pujadesius , vir „dilligentissimus in patriis rebus sermone patrio illustrandis : : : Cum „vero Finestresius intellexisset eum ruinosum esse , et in dies a „barbaris piscatoribus deformari , ut exinde lapides eruant ad suas „casas aedificandas , denuo describi curavit nova delineatione , quae „representaret illius monumenti superstitem faciem.... Non conten„tus hac dilligentia Iosephus Finestresius mihi etiam missit descriptio„nem pontis qui vulgo dicitur *de Ferreras*. Nimirum aquam e fluvio „Gayano haustam per quatuor milliaria Tarraconem duxerunt Roma„ni. Hodieque superest integra forma per quam inter duos colles „supra triplicem arcuum ordinem aqua decurrebat... Quod attinet „ad circum et theatrum Tarraconense scripsit Finestresius dubitare „se , an ulla adhuc supersint vestigia." Haec ille et alia quae in libro tertio epistolarum eius latinarum legi possunt: ut vero ex hispanicis litteris apparet nitorem et elegantiam istorum monogrammorum Finestresii manu effictorum satis mirari non poterat. Nec minori cura in incidendi arte se exercuit. Extant etiam nunc effigies aliquot, quas ille anaglypho opere sculpsit in ligno , ex quibus coniectura fieri potest quanta in rebus omnibus dilligentia uteretur. His artibus instructus cum esset , minime mirum est illum de toto pingendi artificio subtiliter in paucis et intelligenter statuere potuisse. Quam vero recte de tabulis signisque iudicaret , testari ipse possum , qui

ipsum non semel audivi de picturarum umbris, de luminibus, de eminentia, de recessu, de lineamentis extremis corporis, aliisque disserentem accuratissime. Neque vero non nota erat haec Finestresii in hisce rebus industria; cum enim signa quaedam antiqua prostarent venalia, eaque regii administri comparare cimeliarchio regio vellent, dataque quaestori esset haec cura, Finestresius inventus est, qui cum Perezio signis pretium, pro miro cuiusque artificio, statueret; mirante quaestore, horum quidem cimeliorum parum diligenti, sed ad rem regiam paulo attentiori, tantam in uno signo impendi pecuniae vim. Quod si ille, qua erat industria, et solertia, Italiam peragrare, oculosque exercere contemplandis divinis illis, et veteribus et novis huiusce praeclarissimae artis monumentis potuisset, sine dubio inter praecipuos deliciarum harum existimatores merito recenseretur, cum tantum praestitisset, qui non nisi Cataloniae partem, Barcinonemque lustrarat, non sane, pro cetero florentissimae pulcherrimaeque urbis splendore, operibus artis huius abundantem.

Nec minori diligentia in percipiendis musicis disciplinis versatus est adolescens studiosissimus; nec commisit, ut idem illi contigeret quod Themistocli, qui, cum in conviviis graeco more post coenam lyra circumferretur, eiusque se imperitum confessus esset, habitus est, ut verbis Ciceronis utar, indoctior: nec quod Socrati, qui, cum hanc iuvenis liberalis doctrinae partem neglexisset, in adulta senectute ea demum institui, non erubuit. Mature igitur ei operam dedit, nec leviter, ut plerique solent, sed more suo, id est tanto studio, animique contentione, quasi id solum agere, artemque profiteri velle videretur. Non enim modulata dumtaxat aliorum cantica scienter fidibus canebat, sed, quod sane mirandum est in tanta huius artificii difficultate, modos quoque ipse faciebat, et carmina dulcissimis numeris et notis illigabat ad omnes concentus et rythmi leges accomodate. Recitavimus supra litteras Finestresii ad Maiansium, in quibus vir, si quis alius, minimum sibi indulgens, non diffitetur, se in prima adolescentia plura cantica ad modulationem cantumque notis musicis aptasse adeo perite, ut ea a templorum maximorum sym-

phoniacis, in solemnibus eorum festis diebus, fidibus, aliisque organorum musicorum generibus Barcinone canerentur. Hoc idem dum Cervariae iuris esset antecessor usu venisse, ex litteris eiusdem ad Dovium patrem, quas habeo in manibus, et de quibus suo loco plura dicentur, intelligimus. Testatur praeterea idoneus auctor, fuisse penes Finestresium bina haud exigua scrinia chartis referta musicis, quarum modos ipse fecerat, modorumque notas manu sua descripserat. Harum pars maxima distracta et dissipata est, cum propter aetatem aliasque curas studium musicae artis magna ex parte remisisset. Nec vero abhorret a perfecti iure consulti persona huiusce disciplinae accurata perceptio, cum eam Plato libris de republica civili, viro, quem ipse πολὶτὶκον vocat, necessariam omnino musicam esse, in eaque vel praecipuam ingenuae institutionis partem contineri existimet; quamquam fatendum est, haud paulo amplioribus finibus, quam vulgo fit, apud divinum illum philosophum musicam circumscribi: ut ommittam interea, eamdem inter perfectas oratoris virtutes a Quintiliano recenseri. Quare non immerito Finestresius suavissimam hanc disciplinam toto vitae tempore et excoluit et exercuit. Vidimus eum extrema iam aetate, auribusque avide accepimus, arrepta cithara dulcissime canentem fidibus; ut merito dictum de eo sit, non modo eos qui legitimum sonum natura ipsa duce callent, sed etiam qui arte in hac plurimum valent, iucundissimos suavissimosque sonos e lyra elicientem Finestresium, non sine admiratione accepisse. Quo pacto consequutus est, ut nemo illo melius et humanius litterarii negotii intervalla otio interpungeret erudito. Hic tamen vir, tantus ingenuarum artium et amator et artifex, a choreis mirum in modum abhorrebat, etiam in illa harum rerum cupidissima iuventute; cumque tanta sit inter psallendi, saltandique artes affinitas, atque coniunctio. Fortasse quod non tanto artificio apud nos, nec tam docte tractata est haec ars, et cum illa coniuncta, quemadmodum in graecis; in quorum virtutibus non minus saltare commode, quam scienter tibiis cantare commemorabatur. Memini me non semel ab ipso audire, semper sibi

visos similes insanientibus et bacchantibus, qui choreis indulgent, ut si ipsum audiamus, vere Tullius, neminem fere saltare sobrium, pronuntiarit.

Neque tamen hisce tot tantarum artium finibus tam amplis tam longe lateque diffusis coerceri potuit inexplebilis illa discendi cupiditas mentisque contentio, qua ad omne doctrinae genus ferebatur. Interea dum his artibus sese excolendum perpoliendumque tradidit, per omne scriptorum genus volitavit, quin in aliquo pedem figeret, et in eo tanquam in domicilio, non tanquam in diversorio habitaret. Testem habemus locupletissimum huius industriae et ardoris iuveniliter exsultantis ipsum Finestresium, qui litteris vernacule scriptis ad Dovium patrem hanc tantam suam festinationem gravius etiam quam pro merito, ita in sese ipse castigat. Quamvis multos ait, neque enim negare possum, melioris notae dum Barcinone morabar legerim auctores, scis tamen me nullum perlegisse. Librorum helluo aliquando fui, sed prae mentis debilitate tam multa, quae legeram concoquere non potui. Carptim magis quae delectabant, quam quae prodessent oculis magis quam mente devorabam. Hactenus ille. Quod quidem ego non levitati animi sed flagranti nova semper addiscendi cupiditati tribuendum existimo. Nimirum cum ingenii celeritate facile quae legerat intellectu conciperet, in ea quae nondum noverat toto pectore inhiabat. Quam vero longe deinceps abfuerit ab hac intemperantia et cruditate studiorum ex his quae postea dicentur apparebit. Ex hac vaga et desultoria librorum omne genus lectione contraxit illud dicendi genus facile et sponte sua fluens, quale Erasmi Roterodami fuit, cum quo illud etiam commune habuit, quod paene a puero Terentii studiosissimus fuit, eumque assidue pervolutavit, cui quidquid in scribendo profecisset acceptum in primis referebat Erasmus. Neuter enim fuit in haeresi illorum, quos hic in Ciceroniano insectatur, qui se ciceronianos, si superis placet existimant, qui anxium et dilutum orationis genus sequuti calumniandi se ipsos finem non faciunt, quique magnam se laudem consequutos putant, si nullum eis verbum exciderit, quod in Cicerone

aut Caesare non reperiatur, securi an sine acumine; sine pondere, sine illa vi, quam libri genium appellat Martialis, cadat oratio. Hic enim vero genius in litteris aliisque huiusmodi Finestresii tum soluto tum alligato numeris sermone scriptis maxime enitescit, cuius oratio verbis undecumque ex idoneis auctoribus decerptis concinne et eleganter aptis et inspersis vel potius ultro sese offerentibus iucundissime fluit.

Atque hic sane mirum videtur mihi, credo et aliis, qui fieri potuerit ut iuvenis quantumvis ingenio velox, assiduitate et studio pollens, tot tantisque doctrinae et eruditionis opibus non leviter sed alte perceptis, tam brevi tempore pectus impleverit. Sed hi mecum mirari desinent, si in rem quae multo etiam plus habet admirabilitatis animum advertant; intelligent enim non litem lite, quod ait ille, sed rem parum similem vero, alia minus fortasse simili sed testatissima comprobari. Nam primo ingens fuit in adolescente mentis celeritas, summa docilitas, patientia laboris, et assiduitas indefessa, ingenium ad omnia natum, et quod facile quocumque duceret, sequeretur; quodque de Catone sene ait Livius versatile sic pariter ad omnia, ut natum ad id unum diceres quodcumque ageret. Sed quod rem secat de qua agimus, incredibili fuit memoriae vi: quam cum firmissimam a natura accepisset, quaeque omnia quantacumque psi concredita summa fide redderet, adhibito etiam artis auxilio auxit et roboravit. Atque ut praetermittam id quod de periculo in Ovidii carminibus facto supra memoravimus, Michaël Gonserius vir doctissimus dicere solitus erat, praesente Finestresio se librorum subsidio carere facile posse, eum sibi lexicorum, aliorumque talium instar esse. Iovenius doctus alter primarius professor: „ quoties ‘ inquit ’ ego, nihil est enim cur dissimulem, ut periculum „ viri facerem, de rebus iis, quae, quod raro in usum loquendi „ veniant, non curare solemus alii, aut certe facile oblivisci, ro„ gatum adii quo nomine latine dicerentur? At ne semel quidem „ memini non invento eo, de quo quaerebam a copiosissimo hocce „ lexico revertisse.” Huiusmodi factum in eo periculum narrat Do-

vius, quod ne longior sim, malo apud ipsum legi. Nec Finestresius id unquam subire detrectavit, minus sibi diffisus quam elegantissimus latinitatis auctor Petrus Iosephus Maffeius societatis Iesu a quo cum ab adolescentibus collegis suis res latine explicatu difficilis quaereretur, ubi satis quaestioni fecit, obtestatus est eos, ut postea a talibus abstinerent, veritus ne aqua ipsi haereret, et ei, quae de ipso erat latinae facultatis opinioni minus responderet. Magnam haec enimvero Finestresii vim memoriae produnt; illud vero fidem paene omnem superat quod de eo narrat Dovius: „Ab „eodem ' inquit ' Finestresio audivi saepe, se quum in flore aetatis „esset, casu quodam in librum incidisse, qui continebat artem „memoriae, huiusque auxilio quibusdam in mente confictis cellulis „usque ad septuaginta vocabula nullo ordine dictata nihilque inter „se coherentia recitare solitum, a primo ad ultimum::: Nec dubi„tabat clarissimus vir ' addo ego et si quis alius modestus et verax' „quod expertus erat in septuaginta vocabulis quin in sexcentis „aliis effecisset, si non potius iudicium excolendum quam memo„riam putasset." Haec Dovius. Hoc vero quantam naturae bonitatem in Finestresio indicat? nam ut verissime disputat Fabius, qui simile quiddam de Theodecte narrat, fieri non potest quin artificium hoc tunc modo valeat cum excellenti naturae superstructum sit. Huiusmodi fuit M. Annaei Senecae ingenium, de quo cum L. filius multa et mira praedicasset, quasi portenti instar id ipsum quod nos de Finestresio, ille de patre commemorat. Quodque Marco Senecae contigisse ait, ut in extrema senectute nomina et cognomina, etiam illa quae millies et audisset et pronuntiasset, aut aegre, aut ne sic quidem redderet, id ipsum expertus est Finestresius senex. Illud vero in nostro novum, quod hanc memoriae inconstantiam sistere novo quodam artificio suo, neque id omnino frustra conatus est. Si quod enim nomen non succurrebat, recitato secum tacite alphabeto, ubi ventum erat ad elementum quod primum erat nominis quod quaerebat, in mentem eo indicio quasi manu prehensum revocabat. Neque vero quod

de memoriae arte diximus, cuiquam aut incredibile aut prorsus inutile videatur. Nam praeter id quod de Simonide traditur, quem huius artis repertorem plerique omnes faciunt et veteres et recentiores, non desunt alia haud dissimilia exempla, testibus et oculatis et gravissimis comprobata; ut quod ad fidem attinet, nihil sit quod quis dubitet, fieri id posse a beatissima natura, et pertinacissimo studio. Nemo quoque rem, credo, contemnet tamquam prorsus infructuosam, quam duo sapientissimi, et prudentissimi viri Tullius et Fabius futuro oratori non solum commendant, tanquam munitum memoriae praesidium in quod illa se recipiat et conquiescat; sed etiam uterque, et Quintilianus in primis non alienum arbitratus est a gravitate sua, totum quantum est artificium accurate et sigillatim enucleare [1]. Quidquid huius sit, quis non miretur praeclarum adolescentis ad omnes ingenuas artes capessendas impetum, qui etiam in hac quid posset, experiri voluit: rursus iudicii maturitatem, qui cum tantum in ea iam valeret, nihilominus eandem pro potioribus aliis et fructuosioribus neglexerit?

Sed iam Finestresium in suo regno, ut Tullii verbis utar, id est in iurisprudentiae stadio pleno gradu tendentem a carceribus ipsis inspiciamus. Annum agebat unde vigessimum, cum decurso philosophiae triennali curriculo iuri civili operam dare coepit una cum fratre proxime post eum maiori natu Petro Ioanne. Is annus erat huius saeculi MDCCVI. in quo cum arderent omnia civili bello, et partium studiis, regni Hispaniae successorum alterutri faventium, nihilominus studiorum iuris in gymnasio publico barcinonensi cur-

1 Operae pretium erit legere quod Raymundus Dovius disputat de hac arte adversus clarissimum Feijoum, qui insuper habita auctoritate tot veterum et recentiorum scriptorum, ita disserit, ut vix sibi persuasisse videatur, aut unquam extitisse, aut etiam nunc existere aliquam memoriae artem. Qua quidem in disputatione Dovius eadem opera dissertissimum virum Antonium Muretum a Feijoii suspicionibus vindicat, illius fidem vocantis in dubium dum Var. Lect. lib. III. cap. I. simile adolescentis Corsici factum periculum, coram nobilissimis gravissimisque viris, inter quos aderat ipse, fuse et distinctissime narrat. Vid. orat. in fun. Finestr. pag. 22. adnot. 15.

sus tenorem quidem suum conservabat, in quo tamen multum priscae dignitatis et doctrinae desiderares. Inter antecessores, quos audivit, aliquod sibi nomen libris editis peperit Franciscus Solanes primarius legum antecessor. Ille enim vitam Traiani politicam in lucem emisit [1], quam mihi videre aut legere non contigit, sed quantum ex inscriptione, et studiis illius temporis coniectura assequi possum, vix quidquam, credo, continet, quod a docto legum interprete erat maxime expectandum, qualisque est elegantissimus Augustini Bacchii inscriptus *D. Traianus sive de legibus Traiani* commentarius qui editus est Lipsiae anno MDCCXXXXVII in 8°. Potius Malvezzi Romulum, aliosque vitarum, si superis placet, politicarum parum idoneos scriptores imitatus, in eiusmodi canoris argutisque nugis, quantum ex libri inscriptione deprehendi potest, totus est. Alterum est ipsius opus ad rem nostram omnino pertinens, *de iure et edicto praetorio* Viennae Austriae editum, quo partes Caroli sequutus, et comitis titulo ornatus commigraverat. Quid in elegantissimo argumento praestiterit auctor, nemo melius ipso eius auditore sententiam dicet. Is igitur litteris ad Dovium IX. kal. aprilis anno MDCCXXXIII.: legi, ait, Solanis librum de iure praetorio non sine animi molestia, vix enim quidquam in eo est bonae frugis, nihil exquisitum aut observatione dignum, quod velis tollere cum legeris. Omnia protrita; ingenium et eruditio vulgaris; labor ineruditus in quaerendis et cumulandis auctorum sententiis., inspergendisque locis quibusdam e polyanthaeis, et eiusmodi coenosis rivulis, sine elegantia, sine delectu. Haec et alia ille patrio Cataloniae sermone, non sine sale et lepore; quorum ego sensum dumtaxat latine reddidi. In iisdem litteris fatetur, se ab eo tractatum de differentiis testamentorum excepisse, additque, credo

1 Titulus libri est: *el emperador político, ó política de emperadores. Vida del emperador Ulpio Traiano, sacada del panegírico de Plinio el menor, y otros autores, con varias maximas políticas y morales &c. por el doctor Francisco Solanes, catedrático de leyes de la universidad dr Barcelona. En Barcelona en la imprenta de Iosef Llopis. Año de* 1700.

ut superioris censurae acerbitatem temperaret, et ne videretur praeceptoris vestigia conculcare, hi enimvero tractatus satis erant illi quidem boni pro ut erant illius temporis auditores: nam satis perspicui sunt, et eorum doctrina incipientibus accomodata, quamquam totum opus parum auctoris et aetatis conditioni respondet. Ex his facile intelligi potest, quid de reliquis ipsius legum praeceptoribus existimandum sit. Sed in condiscipulis, qui una iuri discendo frequentes aderant, haud paulo fuit felicior. Nam in eodem iurisprudentiae ludo exercebatur Ignatius Dovius et Solanus, qui non immerito a quibusdam Tullii nostri Atticus appellatus est. De his enim verissime dici potest id quod Cornelius Nepos de priscis illis clarissimis et amicissimis viris prodidit, ut quemadmodum Cicero a condiscipulatu ita cum Attico vixit itaque eum dilexit, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior, sic Finestresius ne cum suavissimis quidem fratribus coniunctius vixerit, aut hanc coniunctionem maioribus invicem benevolentiae et amoris significationibus, ambo excoluerint. Eodem fere tempore iuris quoque ludum frequentabat Michaël Gonserius bergensis, doctissimus vir, quem deinde in academia cervariensi primo in tradenda legum disciplina collegam, deinde etiam academiae gymnasiarcham habuit, cum quo initam ab adolescentia necessitudinem numquam non omni officio et benevolentia prosequutus est. Quod si huic doctorum sodalium pari, par aliud adiicias duorum Finestresii fratrum Francisci et Petri Ioannis, non minus doctrina, et probitate praestantium, ex illo ludo viros principes, tanquam ex equo troyano, prodiisse videri potest, potiusque eum esse ex auditoribus, quam ex antecessoribus nominandum. Quantum vero Iosephus noster, licet magistris usus non doctissimis, iam tum in iurisprudentia profecerit, certis illorum temporum documentis cognoscimus. Nam non modo, quod ex actis academiae barcinonensis intelligitur, omnes illos academicos honorum gradus qui diligentissimis et ingeniossimis adolescentibus impertiri solent, summo omnium consensu consequutus est; sed etiam cum in more positum esset in illa academia, ut

ex auditoribus deligerentur aliqui eximii, qui ceteros informarent, ludumque quasi aperirent, quos ludos, minores cathedras vocabant; ad id munus electus, iam tum antecessoris muneri, quam spartam tamdiu cum tanta dignitate, et doctrinae opinione ornavit, proludebat. Verum haec levia fortasse sunt indicia; illud multo maius. Cum enim decretum esset a rege, viderent praesules, praesidesque provinciae, ut optimum et doctissimum in sua quemque arte deligerent, qui in recens condita academia cervariensi scientias profiteretur; Finestresius inventus praecipue est, qui vix dum confecto studiorum iuris curriculo, eius tradendi munus in nova academia auspicaretur. Sed de eius in hanc et iurisprudentiam et studiis, et meritis latissimus iam aperit sese dicendi campus, in quo tamquam in excelso et illustri loco sita clarius laus eius enituit; qua de re libro altero agendum nobis erit. Interea visum mihi est, pluribus et explicatius, quam fortasse fieri vulgo solet, finestresianae adolescentiae studia persequi, cùm ut quibus initiis ad tantum doctrinae fastigium pervenerit intelligi possit; tum quod adeo singularis industria cum tanta bonitate naturae, mirabilis tot artium accurata comprehensio, qualis vix, ac ne vix quidem in tam immatura aetate reperiri posse videretur, non fuit dicenda obiter, nec ieiuna oratione deterenda: simul ut adolescentes propositum haberent exemplum, quod intuentes, acuerent studia sua, et viam quae ad scientias ducit, ingenti animi contentione, et alacritate percurrerent. Sed prius aliquid de cervariensis academiae exordiis, et quemadmodum musae nostrae Barcinone Cervariam migrarint pro instituto nostro praemittendum est.

DE VITA IOSEPHI FINESTRES

COMMENTARIORUM LIBER SECUNDUS.

Incidit adolescentia Finestresii in ipsam flammam civilis illius incendii, quo tota quidem Hispania, sed Catalonia maxime diutiusque conflagravit, dum non modo potentissimi reges, nationesque, sed et cives diversis acti partium studiis de successionis in Hispaniae regnum iure decertarent. Plane ut mirum sit, invenire illum potuisse, in tanta rerum omnium perturbatione, tantum vacui a sollicitudine temporis, quanto opus erat ad tot tam late patentes disciplinas comparandas. Sedata ea flamma, de republica ordinanda serio cogitabat rex prudentissimus, nec minimam curae regiae partem res sibi litteraria vindicavit. Erat tunc provincia plena non tam doctrinis quam gymnasiis, nec fere civitas erat, quae non sibi de universitate, quam vocant studiorum, blandiretur. Inter has secundum barcinonensem eminebat ilerdensis, quam duo illa immortalia litterarum lumina Petrus Ioannes Nunnesius et Antonius Augustinus splendore sui nominis et doctrinae, ut alios omittam, illustrarunt [1]. Quamquam antiquitate potior haec barcinonensi etiam fuit. Iacobus enim II. (ut Zurita rerum aragonensium diligentissimus, histor. prima parte tradit) ne in regni sui provinciis, artium et disciplinarum cultura desideraretur, impetrato etiam Bonifacii papae decreto, gymnasium Ilerdae constituit, in quod omnes undique ex omnibus regiae ditionis finibus disciplinarum studiosi convenirent. Sed de barcinonensi mox et pluribus. De ilerdensi id tantum et

1 Dum Ilerdae rhetor essem, bibliothecae domesticae societatis Iesu forulos excutiens, multa impressa vidi ilerdensis horum virorum commorationis vestigia: M. ss. scilicet inedita eorum opuscula; inter quae praeter Nunnesii annotationes in Melam, quae partim editae sunt, erat de laudibus Ilerdae oratio, quae quamvis mutila in codice, tanto rhetore digna erat. Vidi carmine et latino, et hispano Antonii Augustini soteria pro restituta valetudine a summo viro persoluta. Quae deinde Maiansio per Finestresium misa sunt ut his vitam summi illius viri locupletaret.

in transitu addam, sacerdotium illud, quod is qui obtinebat in canonicorum collegium cooptabatur, et academiae curator erat, quemque scholarcham vocabant, gymnasiarchae academiae cervariensis attributum perpetuo fuisse. Reliqua ceterarum quoque urbium gymnasia, eorum census et ludi, in unum pariter cervariense confluxerunt, quo istud maiori discentium frequentia celebraretur. De barcinonensi academia transferenda res erat operosior maiorisque molis propter et celebritatem urbis, et gymnasii splendorem et dignitatem. Eius exordia repetenda sunt, si Felivium audimus, ab anno quadringentesimo secundo supra millessimum cum Martinus Aragoniae rex gymnasium, in eoque medicinae et artium quos vocant ludos aperuit, probante Benedicto XII. dato nonis iulii Avenione diplomate. Sed haec quasi rudimenta fuerunt illius academiae cuius Alphonsus IV. vere conditor dicendus est. Is enim anno MCCCCL. potestatem fecit civitati barcinonensi eiusque magistratibus erigendi gymnasium, in quo artes omnes ingenuae scientiaeque docerentur. Ornavit etiam amplissimo privilegio, ut idem senatus, et gymnasiarcham et moderatorem reliquosque magistratus designaret; omniaque decora, quanta maxima concessa erant reliquis Aragoniae regni academiis barcinonensi attribuit. Nicolaus vero V. pontifex sapientissimus, et litterarum, si quis alter, fautor egregius, non solum ea omnia litteris pridie kal. octobris rata habuit et munivit; sed et cetera privilegia, quotquot superiores pontifices tolosanae academiae impertiverant, barcinonensi largitus est. Verum ne tunc quidem exitum omnino reperire potuit, et pontificis et regis munificentia, donec anno MDLVIIII. coacto huius rei caussa centumvirorum consilio, senatusconsultum factum est, darent operam magistratus, quos consiliarios vocabant, ut quae inchoata dumtaxat tamdiu permanserant, absolverent, remque omnem litterariam et academicam ex pontificiis regiisque decretis constituerent. Illi episcopum barcinonensem, qui tunc erat, quique deinceps futurus esset gymnasiarcham designarunt, qui videret ne res academiae publica detrimentum caperet, et omnium artium et scientiarum benemeritos

de litteris auditores in doctorum collegia cooptaret. Atque haec est illa barcinonensis gymnasii aetas aurea in qua floruit viris graece ac latine doctissimis, et professoribus non nostratibus solum, sed etiam exteris; ex quibus satis sit memorare Petrum Ioannem Nunnesium valentinum, et Bartholomaeum Marlianum mediolanensem, quem ipsius collega Petrus Sugnerius eloquentissimum virum vocat, qui non solum veram scribendi rationem teneret, sed ita eam suis auditoribus traderet ut omnibus plane esset admirationi. Nostrates autem eruditione, et omni elegantis doctrinae cognitione praestantes infinitum esset recensere. Quid enim dicam de Damiano Hortolano, qui in ea et professus est, et inde in concilium tridentinum delatus patribus consilio adfuit; quid de Ioanne Vileta, Ioanne Cassadoro, Francisco Calza, Petro Sugnerio, Francisco Scobario, Ludovico Blanco, Ioanne Costa, Ioanne Christophoro Stella, Antonio Roscio, plurimisque aliis et scriptis et omni eleganti doctrina perpolitis? In quorum numero nec sapientissimos theologos, nec eruditos iureconsultos, nec doctos philosophos, nec litteratissimos philologos, nec disertos rhetores, nec graves elegantesque historicos requiras. Laus vero cultae castaeque latinitatis adeo pervulgata tunc fuit, ut quemcumque librum sumas in manus illis temporibus elucubratum in eo latine eleganterque scribendi facultatem facile agnoscas. Nec defuerunt barcinonenses typographi qui typographeia haberent nitidis latinorum graecorumque typorum formis instructa, id quod utriusque linguae libri eo tempore Barcinone eleganter et emendate excusi satis ostendunt. Hos inter eminent chalcographi et diligentes et eruditi Sebastianus Cormellas, Hubertus Gothardus, Iacobus Cendratus, Petrus Malus, Claudius Bornatius, ut alios praetermittam. Nec tamen ita diu stetit quin aut emendatione, aut instauratione opus esset, qua cuncta in pristinum aut meliorem etiam statum redigerentur. Centumviri igitur in senatu habito x. Augusti MDLXXXXIII decreverunt ut viri in litteris scientiisque omnibus exercitati, instituta legesque academicas in examen revocarent, parum idonea abolerent, alia adderent, supplerent,

emendarent, id quod viri gravissimi et in aliarum celeberrimarum academiarum institutis versati anno demum MDLXXXXVI. exsequuti sunt, novasque leges tulerunt typisque mandarunt [1]. Nec tamen inflammato patrum iuvandi litteras studio ita satisfactum fuit, quin duodecim viri novis instituendis legibus eligerentur, quae pariter eodem anno editae sunt. Hisce institutis munita academia clarissimorum virorum in omni disciplinarum genere et latine graeceque eruditorum iterum eflorescere visa est. Sed florentissima academia, quemadmodum urbs ipsa intestinis discordiis ab anno MDCXXXX. grassantibus, moxque contagiosa lue accedente paene concidit. Stetit tamen illo ipso saeculo exeunte: at non ea qua olim sapientissimorum hominum copia, nec illo bonarum artium splendore. Sequuta sunt ineunte saeculo bella de regni successione plusquam civilibus odiis bellata, quae rem iam inclinatam pessum omnino dedere. Hinc illae curatorum querelae de gymnasii infrequentia, de studiorum neglectu, et studiosorum socordia. Quae omnia ex actis ipsius academiae barcinonensis constant. Cum vero urbis maenia circumsonare armis et obsideri coeperunt, tum vero perterritae mansuetiores artes conticuerunt, themidisque gladius in tela hostilia conflatus est; qui vero sub eius signis merebant in Martis castra transfugerunt. In hac misera reipublicae et civilis et litterariae conditione iuris studia Finestresii inciderunt, de qua audivi saepe narrantem illum; cum legum, aliarumque artium studiosi in tanto patriae discrimine reiectis codicibus ad arma capessenda vocarentur. Ita aflicta prorsus academia, ubi primum provinciae bellis civilibus misere diu vexatae lux aliqua affulsit, quaerendae sedes erant in quas musae fugientes, et dissipatae revocarentur, et a tam diuturna iactatione conquiescerent. In illo animornm aestu turbulentissimo magnum invictae fidei instar fuit adversus regem Philippum V. civitas cervariensis. Enim vero non solum fere tota quasi

1 Liber inscribitur: ordinacions e nou redres fet per instauracio, reformacio e reparacio de la universitat del estudi general de la ciutat de Barcelona en lo any 1596. En Barcelona en la estampa de Gabriel Graells any 1596.

suis avulsa sedibus regis sui signa saepenumero sequuta est, sed etiam ab inimicis praedae non semel militibus obiecta, omnium paene fortunarum suarum iacturam fecerat. Cum igitur ex tot diversarum urbium gymnasiis, unum aliquod illustrius deletis aliis constituendum esse videretur, urbs aliqua deligenda in qua collocaretur: rex prudentissimus eadem opera consequutus est, ut et egregiam Cervariae fidem meritis afficeret praemiis, et universae Cataloniae opportunum academiae domicilium stabiliret. Ab anno MDCCXIII. urgente ipso rege nihil tale flagitantibus, et ne quidem sperantibus, civibus cervariensibus actum de toto hoc negotio apud regios administros. Missi sunt ad aulam legati duo qui iussa et mandata regis exciperent. Interea dum res ad exitum perduceretnr, cum reliqua gymnasia Cataloniae clausa essent, aperiri scholae caeptae sunt Cervariae in Minimorum, ut vocant, Sancti Francisci a Paula caenobio. In deditionem ac fidem recepta Barcinone, et pace toti provinciae reddita, nihil habuit antiquius Finestresius, quam ut ad novam illam musarum sedem migraret. Ibi primum, cum ob intermissa studia disiectamque bello academiam Barcinone non potuisset, doctoris legum insignibus ornatus est. Quae vero erat omnium ordinum de eius doctrina et eruditione existimatio statim ad tradendam iurisprudentiam in illis nondum bene constitutis studiorum initiis adhibitus est. Constat ex Dovio, ipso anno MDCCXV. athenaeum cervariense adiisse ibidemque biennio toto ius civile docuisse cum annum circiter duodetricessimum ageret. Hoc elapso, anno vero MDCCXVII. qui primus conditae tandem academiae censeri debet, rex clementissimus et munificentissimus amplissimo decreto XVI. kal. septembris, abolitis quae Barcinone, Vici ausetanorum, Tarracone, Gerundae, Ilerdae, alibi erant publicis gymnasiis, Cervariae sedem omnium scientiarum et bonarum artium constituit. Census veterum novae attribuit academiae; privilegiis, honoribus, opibus quantis maximis alia quaevis in Hispania ornata esset, ornavit. Aedium academicarum ychnographiam, et orthographiam delineari iussit, cuius formam intuentes architecti templum illud musarum sumptu et

magnificentia vere regali exaedificarent. Nec iam cum reliquis academiis certare, sed hac quidem in re reliquas voluit longo intervallo superare. Et vero peragratis pluribus regnis atque provinciis, neque videre, neque legere me memini, usquam gentium aut augustiorem aut digniorem erectam fuisse sapientiae sedem, et in qua musae laxius et magnificentius habitarent. Non deerit fortasse qui existimet alia esse potiora loca ubi musae libentius degant, bibliothecas, cimeliarchia, musea, reliquumque artium litterarumque instrumentum, in quibus expensam vellent partem aliquam ex illa grandis pecuniae vi: sed nimirum excelsi spiritus princeps rem ex animi sui magnitudine, non ex nostri cordis angustiis metiebatur. Prorsus ut appareat, voluisse magnanimum regem extare prolixae erga cervarienses, ob res in bello summa fide gestas, et exanthlatas, aeternum voluntatis suae monumentum. Eodem decreto demandavit rex Pio Sabaudiae principi, ut adhibitis in consilium barcinonensi, ilerdensi, coelsonensi episcopis, aliisque primariis et sapientissimis viris, doctissimos quosque ex omni Catalonia delectos viros recentis academiae professores inauguraret. Tum vero iusti iam tandem et legitimi antecessoris munus tueri caepit Finestresius, quam spartam deinde tanta, tum sua, tum academiae laude tamdiu ornavit. Quadriennium igitur totum ab anno huius saeculi duodevicessimo iustinianeas iuris institutiones non vulgari illa tritaque via, sed magis exquisita et elegantiori explanavit. Atque ego inter praecipua nascentis athenaei decora et in magna felicitatis parte puto, primum huiusmodi nactum esse doctorem, et primum moderatorem, quorum alter perfecti antecessoris, alter perfecti gymnasiarchae instar esset, quod sibi posteri ad imitandum proponerent. Faustissimis enim auspiciis academiae regendae praepositus a rege est nobilissimus et sanctissimus vir Franciscus Queraltius. Is enim splendidissimo loco ex comitibus *Sanctae Columbae* natus, omnibus virtutis et sapientiae ornamentis praeditus, cum res academica nondum fundata legibus, et in tenera, ut ita dicam aetate, nondum viribus satis esset confirmata, eam tanta benevolentia fovit, tanta prudentia rexit, tanta

morum innocentia et sanctitate vitae reliquis praelucere visus est, ut quasi alter conditor , et totius academiae , academicorumque omnium parens dici non immerito possit. Ille enim de suis commodis parum aut potius nihil omnino sollicitus , in alienis procurandis tanta erat diligentia et sollicitudine, quantam nemo ab amicissimo et benevolentissimo quoque exspectare potuisset. Sed de tanti viri laudibus , quantumque ei res litteraria cervariensis acceptum referat dicendi hic non est locus; praesertim cum extet de vita rebusque eius gestis commentarius a magni ingenii viro philosophiae et theologiae professore , eleganti et cultiori, sed interdum calamistrato hispano sermone conscriptus [1].

Annus igitur duodevicessimus agebatur, qui primus fuit vere conditae academiae , idemque finestresiani professorii muneris princeps. Quamvis enim ab anno xv. iuris civilis doctoris, canonici (huic enim quoque diligentem dedit operam) prodoctoris infulis insignitus, ius civile e superiori loco tradiderat, eo demum anno rite a triumviris illis designatus , a rege vero creatus est antecessor. Quod quidem vitae ipsius per decennium tempus omnino lateret, nisi facem in tenebris praeferret ipse Finestresius litteris , quas ad Dovium patrem creberrimas dedit. Sunt pleraeque illae populari nostratum sermone exaratae, multo eoque attico aspersae sale, et sapore quodam vernaculo conditae, quae non minus urbanitatem ingenii sui, quam doctrinam ostendunt. Amabat enim paternam linguam , et hispane , quamvis optime sciret , non libenter , ut ait ipse scribebat. Has litteras graves habemus auctores ex quibus res eius

1 Non erit , credo , iniucundum , aut alienum ab instituto nostro, titulum libri describere ex quo honores utriusque intelligere possumus. *Vida y exemplares virtudes del Ven. Doctor Don Francisco de Queralt , arcediano mayor , y maestreescuela de la santa iglesia de Lérida , y primer cancelario de la pontificia y regia universidad de Cervera , juez escolastico de su estudio , conservador , y unico executor de sus indultos pontificios y reales. La escrivió el P. Miguel Conill de la compañia de Jesus , maestro de artes y doctor en teologia , catedrático antes de filosofia , y ahora de sagrada escritura en la universidad de Cervera. En Cervera en la imprenta de la universidad por Manuel Ibarra. Año* 1736: *in* 4°. *m.*

illa tempestate gestas describere aggredimur. Ac primum cum in oppido infrequenti versaretur, ac adhuc parum opibus minus etiam litteris librisque abundanti, de qua paucitate litteris ille ad Dovium eodem anno datis queritur, de instruenda domestica bibliotheca cogitavit. Nimirum homo minime alias emacitatis morbo laborans, quidquid pro cetera sua parsimonia sine sordibus comparserat, comparandis voluminibus destinabat. Et quamvis in re esset non admodum ampla, cum tamen in id omnes suas opes, atque, ut ait ille vindemiolas reservaret, brevi festivam sane vim optimorum voluminum collegit. Inita igitur cum Dovio societate, ex batavis praesertim, et lugdunensibus bibliopolis transvehi libros curabant; quod Dovio barcinonensi viro nobili et apud mercatores gratioso, in civitate commerciis florenti non erat difficile factu. Et hic quidem homo elegantissimi ingenii, splendidissimis veterum scriptorum, batavis praesertim editionibus cupidissime inhiabat, quarum plura et luculenta nactus est exempla. Finestresii studia ad has etiam delicias, sed parcius et minus sumptuose, multo vero acrius ad cultioris iurisprudentiae volumina spectabant. Leges etiam sibi et bibliopolis praescripsit quibus tanquam conditionibus totum id negotium transigeretur, in quibus, qui aliis in iure cavebat sibi quoque accurate cavit [1].

[1] Leges et pacta conventa describere visum est ut haberent alii attenti et prudentis emptoris exemplum.

Qui librorum pretia exquirunt a fratribus de Tournes volunt:

1°. Ut libri sint editionis in indicibus transmissis notatae aut alterius non deterioris; sint etiam integri, et incorrupti.

2°. Ut libri mittantur bibliopolae gallo Barcinone commoranti inscripti et nuncupati D. D. Ignatio de Dou et Solá barcinonensi, qui libros accipiet, et eorum pretia solvet.

3°. Ut venditores subeant sumptus omnes faciendos in mittendis libris, eorumque periculum usque dum pervenerint Barcinonem; ratione quorum quantum conventum fuerit solvent emptores.

Pacta ea forma, quae in prima emptione conventa erunt servabuntur in aliis, quae, volente Deo, ab iisdem fient emptoribus. Sperant etiam cùm pretiorum moderatione, tum etiam Dom. de Tournes humanitate ac fide se et alios ad frequentes librorum comparationes adlectum iri.

Quin et pro ardenti suo iuvandi rem litterariam desiderio ad aliorum quoque inopiam sublevandam pararium sese illis ad libros transvehendos exhibuit. Nec destitit id ipsum agere, quamvis in hac procuratione haud modicae pecuniae iacturam homo non valde pecuniosus non semel fecisset. In his ipsis litteris crebro occurrunt de his ipsis auctoribus quos comparabat, plurimisque aliis accurata iudicia, in quibus apparet illa inexhausta legendi discendique aviditas, et quantum iam tum et in iuris et in omni liberali doctrina valeret, quantam optimorum librorum notitiam haberet, quantum in acquirendis adhiberet delectum.

His praesidiis iam satis instructus ita vitam instituit, ut totum illud fere tempus curriculi academici instituendis auditoribus et iurisprudentiae daret. Reliquum in liberalium artium musicae praesertim exercitatione consumeret, in qua plus ponebat operae quam quisquam ab antecessore legum exspectaret. Audire est operae pretium, quid iocans ad Dovium scribat [1]: quamvis lyram aliquot his diebus abieci, et solum cytharae sono veterum more, vocem meam suavissimam et cygneam socio, non idcirco musicae studium negligere est animus. Quod si cantilenis indiges quibus puellam quam procaris demulcere possis, audacter a me pete arbitratu tuo: habes enim novum carminis et chori musici creatum ducem. Nuper enim modos feci canticis quibusdam, quae canere non alienum a dignitate sua duxit chori cervariensis ductor, et phonascus, nec Serra monachus sonis cymbali sui sociare. Haec ille nostrate lingua, quae ego latine, sed non eodem lepore et venustate. Idem a Dovio chartas saepe notis musicis a peritis artificibus signatas enixe efflagitat, quibus feriarum aestivarum otium deliniret. Tunc enim solutus severioribus scholae studiis in mansuetioribus liberum curis animum relaxabat. Erant illa tempestate litterae gallicae magno in pretio, et quod imperium penes gallos principes erat et quod ipsi academiae conditores essent: extrema tunc erant tempora illius aetatis aureae litteris in Gallia florentissimae; necdum

1 Carta del mes de setiembre del año 1722.

luxus et effrenata licentia mores pariter et artes gentis corruperant, et pene dixerim effeminaverant. Finestresius cum iam antea gallice perbene sciret maximam partem aestivi et autumnalis otii pervolutandis optimis quibusque gallicis scriptoribus transigebat, quorum ingentem, ut ipse scribit, copiam evolvit. Quo pacto consequutus est ut gallice et loqui posset et scribere, nec enim eo carere voluit ornamento, cum tunc gallice scire et loqui pars urbanitatis videretur. Cum tanta uteretur contentione animi et assiduitate, non minorem tamen valetudinis gerebat sollicitudinem. Non enim erat in arte medicinae hospes, tantumque ex hac disciplina hauserat quantum suae aliorumque etiam saluti tuendae satis superque esset. Cuius rei testem producere possem Raymundum Guavium, qui eum rogatum saepe de rebus ad hanc artem pertinentibus, consulentibus perite providisse tradit. Ille tamen abhorrebat omnino a pharmacis et medicamentis, et quamvis esset κακοστόμαχος a potionibus medicatis abstinebat; idoneo victu temperantique, opportune intermittendis laboribus recreandisque viribus bonae valetudini serviebat; idemque Dovio ut faceret auctor erat. Cumque hic πάθῳ ὑποχονδριακῷ sese afflictari quereretur, Finestresius se affectione illa, multo etiam tentari ait vehementius: tamen tranquilitate animi, hilaritate, irridendisque tacite democriteo more inanibus hominum curis et ineptiis, moderandis cupiditatibus, offensione vitanda eandem se funditus expugnare. Multa praeterea inter se non solum de quotidiana vita, sed etiam de interioribus litteris et omni humanitate conferebant. Ex his liquido apparet quantum ingenio et doctrina praestaret Dovius, quantique ille huius eruditionem faceret acerrimumque iudicium. Atque ut extet memoria viri egregii et ipsius per sese, et duobus clarissimis liberis posteritatis recordatione dignissimi, non alienum erit leviter saltem indicare quid de eius elegantia ingenii Finestresius sentiret, quantumque ipsius in iudicando solertiae tribuendum existimaret: quod nulla e re melius quam ex ipsius ad Dovium latinis litteris intelligetur: sic enim ait: »Ubi calamum arripui aliquamdiu haesi

"cogitabundus, dum ad te severum scriptorum censorem qua lin-"gua scriberem non plane decernere poteram. Nam si catalana ve-"lim, vereor idiotismi aliqui, quos ex longa cum cervarien-"sibus consuetudine contraxerim, mihi nil tale animadvertenti ex-"cidant; quod sane grave apud te piaculum foret hominem ex-"cultissimum, in foro barcinonensi iure consultum, in gynaeciis "(est in his excolendae linguae frequens occasio) Adonidem. Quid "enim si latinus sese obiiciat sermo? (apage castellanum quo non "nisi invitus loquor) tunc sane tuum censorium metuo supercilium, "cum te classicis auctoribus et dictionariis armatum reputo, in qui-"bus vocabulorum omnium apices scrutaris, omnium vocum vim et "proprietatem ponderas et examinas, quarum rerum minima nobis "est cura, qui orationis affluxu ius civile auditoribus parum aut "nihil latini sermonis munditiem et elegantiam sectantibus inter-"pretamur. Quo fit ut quid dicamus potius, quam quomodo di-"camus curae sit. Ad haec quem a latina scriptione non retardet, "qui te Iuvenalibus, Petroniis, Persiis, Barclais [1], aliisque huius "farinae satyrographis assidue incumbentem scierit? Ego certe metu "vacuus non sum fore, ut pro grammaticalibus tricis et quisquiliis, "in quibus aliquid peccaverim, ut vix scutica dignus fuerim, tu homo "emunctissimae naris et delicatissimi palati horribili sectere flagello. "Sed parces credo ingenuitati qua meum fateor timorem, et inexora-"bilis critici paullum seposita severitate, gravioribus etiam veniam

1 Non temere Finestresius Barclai inter alios satyrarum scriptores meminit. Ille tunc multis erat in deliciis, et Dovius ita illius ingenium, inventionem, morum descriptionem, civilem doctrinam probabat, ut etiam, quod non nemo mirabitur, Finestresio auctor fuerit, ut quam Fevius societatis Iesu interpretationem hispanam Argenidis inchoaverat, ille absolveret. An id praestiterit haud liquet; rescribens quidem certe, multa in reliquis interpretibus desiderat, et reprehendit, ut appareat plus operae in legendo, et enucleando hoc scriptore posuisse quam quisquam de ipsius elegantia ingenii exspectaret, non quod eum malum stili et latinitatis auctorem esse non agnosceret, sed quod prudentiam et inventionem admiraretur, et fortasse nimis hominum existimationi serviebat, quae de eo erat auctore, qui ut nimis acres sui amatores habuit, ita dignus non est qui in eo quo nunc est contemptu iaceret.

„dabis." Hactenus ille [1]. Cum eodem anno Dovius suavissimam et carissimam matrem amisisset, epigraphem eius sepulcro inscribendam missit: quam idcirco praetermittere nolui, ut haec etiam Dovii parentum extet memoria, et quia genus hoc operosius est quam vulgus existimat. Novi ego eruditissimum philologum patavini gymnasii professorem, a quo cum christianae inscriptiones peterentur, hanc curam in alios reiecit, cum diceret quid in hoc genere sequeretur perspectum se non habere, nec veterum Romanorum formulas mutatis et moribus et relligionibus exscribendas existimaret. Qua in sententia ex Doviae elogio fuisse quoque videtur Finestresius. Et plane in antiquitate quod tamquam exemplar intueri possimus non habemus. Quod si doctissimus vir Franciscus Antonius Zaccarias, locuples sane nec sic tamen satis firmus promissor, quam minatus fuerat extricasset christianarum inscriptionum gruterianae instar collectionem [2]; aut quam diu parat Cayetanus Marinius in hoc litterarum genere omnium facile princeps in publicum emitteret, non deesset fortasse quod in tanta copia seligere possemus. An autem Finestresius genus hoc recte congruenterque tractarit lectoribus diiudicandum relinquo: epitaphium est huiusmodi.

D. O. M.
Dom. Isabellae Dou et Solá Ignatius I. V. D.
Matri optimae
Hoc monumentum sibi suisque
Cum Deo placitum erit futurum commune
Posuit
Anno Domini MDCCXXIII.
Iudicem pro nobis exorate
Vos aliquando iudicaturum.

1 Litt. 27. Dec. 1723.

2 Nihil quoque vir hic doctissimus de inscriptionibus christianis in institutione epigraphica praecipit. Fidem tamen suam edendarum harum inscriptionum aliqua ex parte liberavit editis Francisci Lupi eruditissimis opusculis duobus in 4°. voluminibus, quae fere in hoc argumento versantur, quibusque et dissertatione eiusdem in Severae martyris epitaphium nihil hoc in genere aut doctius est aut praestabilius.

Ex hisce litteris quaedam etiam de rebus academiae parum notis deprehenduntur. Nam dum de dignitate academiae amplificanda ferendisque legibus agebatur, quibus studia regerentur et magis in dies eflorescerent, male feriati homines varios in vulgus spargebant rumores: „de atheneo nostro' verbis utor Finestresii [1] ' ut intel-
„ligo, apud nostros barcinonenses varius rumor increbuit. Nam prae-
„ter ea quae Gonserio nostro per litteras significasti, non neminem
„esse, qui ruïnam iam impendere coniectaretur; alii quoque sunt
„et quidem non ex vulgi faece, qui super hac re senatum Barci-
„none habitum a regiis consiliariis adseverent, eumque ad secun-
„dam usque pomeridianam productum: quo soluto architectos sta-
„tim missos, qui oculis perlustrarent, ac referrent quo in statu
„esset aedificium illud, illustre futurum aliquando gymnasium. Ad
„haec nova regni mutatione (imperium tunc obtinebat Ludovicus primus, quod sponte Philippus pater abdicaverat) „quae de nostro
„lycaeo conservando et ornando Philippo placuerant, concidisse.
„Quid tu ad haec? Mi sane omnia λῆροι λῆροι. Nugae omnia et male
„feriatorum commenta, qui ut repentinum metum incutiant, non
„erubescunt palmaria mendacia cudere, quae triduo exacto mera
„fuisse somnia omnibus adpareant. Sed obganniant per me licet
„et latrent quantum possint, et vacua, ut ait ille, dentes in pelle
„fatigent, nam et haec ipsa temere effutisse, quibus eventus non
„respondeat, paena erit, et quidem non vulgaris." Quanta levitate sererentur isti rumores, quamque vere eventu ipso mox refellendos esse Finestresius auguraretur, non diu exspectandum fuit. Primum enim Ludovicus ipse primus legationem quam nomine academiae obiit ipsius curator Ludovicus Curiel, orationemque quam habuit eucharisticam, in qua multa pariter de commodis et honoribus illius commemorabantur, benignissime excepit, et omnia fausta et magna sperare iussit. Mortuo vero in ipso adolescentiae flore magnae spei principe, cum Philippus regni gubernacula rursus sumpsisset in manus, statuta academica diu multumque meditata tandem

1 Epist. dat. IIII. kal. februarias.

anno eodem quinto et vicessimo tulit promulgavitque. Priusquam autem ederentur in lucem adhibitus est Finestresius noster ab academiae curatoribus Francisco Aguado et Bernardo Sanctio, qui iis praescribendis adesset, eaque omni cura expoliret, atque elimata tandem cum ab eo ultimam manum accepissent in regias manus pervenirent, itaque typis mandarentur [1]. Igitur cum iam fundata legibus eodem anno editis et promulgatis esset academia in novam perfectamque reipublicae formam condita tum demum videri potuit. Quamobrem veluti in nova quasi republica coacti sunt veteres antecessores et magistri abdicare se magisterio, togam candidam, ut ita dicam, induere, periculum ex novis legibus subire, quo facto optimus quisque ad munus professoris eligeretur. Finestresius cum ante erectam decreto regis academiam triennio ius professus esset electus a magistratibus; post decretum vero creatus ab ipso rege semel et iterum quadriennalis institutionum antecessor, cum antea iam probatus esset, omnium consensu quartum antecessor electus triennalis est ex novis academiae institutis; quo triennio elapso quintum iam antecessor anno duodetricessimo creatus est. Atque id ipsum fuit tempus ad quod iam pridem festinat oratio, quod fuit primum initae cum Maiansio clarissimo viro amicitiae, idemque initium quo scriptis suis in ore hominum prodire coepit. Aditum huic copulandae illi munivit vir doctus Franciscus Blanchettus iuris canonici cervariensis professor, qui cum familiaritate et studiorum communione cum utroque coniunctus esset, eorum quoque inter se amicitiam conciliavit. Haec autem ex ipso initio ita coaluit, ut ad extremam senectutem non modo non discissa, quod aiunt, sed ne minimum dissuta unquam fuerit. Quantum vero iam tum alter alteri detulerit, quantaque se caritate invicem complecterentur, ex litteris Blanchettii inter Maiansianas et mutuis Finestresii Maiansiique intelligitur: sed multo etiam magis ex aliis. Perlegi ego duo pergrandia litterarum Maiansii ad nostrum; et totidem excerpta Finestresii

1 Vidi de hac re testimonium actuarii academici ex ipsis actis academiae depromptum.

responsorum. Plenae sunt querelarum Maiansii litterae, cum et saepe amicorum fidem, aut sociorum desideraret, vel quod in tantis animi ingeniique dotibus natura esset paullo difficilior, vel quod laudum cupidior, vel quod conscientia virtutis et doctrinae non eo loco quo dignus erat ab hominibus nequaquam cum eo comparandis haberetur. Idem tamen de Finestresio nunquam non cum summa benevolentia, nunquam non honorificentissime aut locutus est aut scripsit; nulla inter eos querela, nulla simultas. Nimium vero quantum Finestresius maiansianae amicitiae debeat. Totus fere qnantus fuit extitisset ille fortasse sine Maiansio; sed eius laudes a posteris ignorarentur, nisi hic amicissimum et doctissimum virum a scholae umbraculis in lucem invitum etiam cunctantemque extraxisset. Agnovit id etiam homo germanus Gotlieb Heinius. Hic vir summus gottingensis gymnasii humaniorum litterarum institutor et scientiarum eiusdem academiae a secretis, cuius domus quemadmodum Isocratis, quam ait Cicero quasi ludum cunctae Graeciae et dicendi officinam fuisse, universae Germaniae reliquisque finitimis provinciis et patuit et patet; hic igitur in tertio volumine commentariorum academiae gottingensis, in elogio Meermanni: „litterarum' inquit' commerciis functus erat vir amplisimi nominis (Meermannus) et locupletissimae litteraturae cum viris eruditis in „primis iureconsultis omnium populorum summis, in primis ex gallis „et hispanis, interque hos Gregorio Maiansio, et Iosepho Finestresio: „qui quidem, etsi inter suos populares satis noti et laude sua dignis„simi, ut famam aliquam et celebritatem nominis inter nos quoque „habeant, Meermanni unius curis et beneficio acceptum referre „debent. Ita enim saepe fit ut unius viri opera et studio hominis „alicuius virtus et nominis fama per plures populos late spargatur, „quae si defuisset in obscuro abdita latuisset." Sic ille: id vero omne Finestresius unice debet Maiansio, qui ei ad Meermanni amicitiam aditum aperuit. Sed amicitiae cum Maiansio conciliator Blanchettus paulo post morte extinctus immatura est, atque una spes omnis, quae de eius doctrina erat, effluxit. Dignus profecto cuius de

virtutibus memoria extet in hac Finestresii vita, de quo tam praeclare meritus est. Erat ille iuris utriusque consultissimus, pontificii etiam Cervariensis antecessor; quam legum doctrinam, ut cum totius antiquitatis et elegantioris eruditionis cognitione coniungeret, tunc vel maxime dabat operam. Multum autem sperari poterat ex homine multae industriae, nec minoris ingenii, cui Maiansii, Finestresii, Gonserii consuetudo et exemplum stimulos addebant. Sed praestat ipsum Finestresium audire; litteris enim v. nonas iulii anni MDCCXXIX. ad Maiansium de eius morte: „crede mihi' inquit' carissime Gregori, spei erat eximiae vir Blanchettus ob „subtilissimum ingenium, iudicium maturum, eruditionem immen-„sam, indefessum studium, eloquium excultum et expeditum, et „quod caput est virtutem solidam et minime fucatam." Haec ille et alia potiora de summa eius patientia, pietate et animi devotione, qua mortem placido vultu et spei plenus impendentem excepit. Illud vero quod subiungit Finestresii in Deum relligionem clare prodit: „precor Deum Optimum Maximum ut qui nos firma coniunxit „amicitia Franciscus Blanchettus, idem amicus Dei factus, ipsius „quoque amicitiam precibus nobis conciliet." Supersunt tantum ipsius binae litterae inter maiansianas bene latine et nitide scriptae; quam laudem eidem Maiansius qui multo plures acceperat tribuendam esse existimavit. Morte communis amici Blanchetti non solum non refrixit illorum amicitia, sed potius ex eius in utrumque benevolentia et amore quodammodo crevisse visa est. Primus consuetudinis fructus fuere latinae litterae ultro citroque missae, in quibus, ut inter iuris consultissimos viros, iuris quaestiones utrimque accuratissime agitantur, non sine veterum et philologorum et iuris prudentum exemplo, quorum quaesita per epistolas et responsa complura circumferebantur. Pollicitus erat Maiansius dum epistolarum libros sex ederet, seorsum quoque epistolicarum harum quaestionum volumen emissurum in lucem. Verum promissa non praestitit; quod si fecisset, manifestius etiam appareret quam vere clarissimus Heineccius censuerit, in his quae in iuris interpretatio-

ne versantur epistolis sermonis nitorem, cum rerum quas explicant praestantia videri certare. Habeo in manibus quasdam, quod si reliquas nactus fuero non eas ego legum studiosis invidebo, daboque operam ut ad huius voluminis calcem cum aliis Finestresii latinis epistolis excudantur. In hoc igitur epistolarum volumine libro IV. legantur amabo eae utriusque epistolae, quas Maiansius inconsulto Finestresio, iuris publici fecit. Non enim vir modestissimus idcirco scripserat ut lucem viderent, nec dignas eadem existimabat; sed recte Maiansius qui hac in re amici pudori non indulsit, vereque inter ceteras virorum doctorum ad sese illius et Emmanuelis Martini litteris tribuendas esse primas iudicavit. Quod vero non eo consilio conscriptae sunt ut ederentur, id vero in praecipua laude ponendum est et litterarum et auctoris: litterarum, quae illaboratae et sponte sua fusae magis arrident; auctoris, qui etiam sine sollicita commentatione extemporali quadam facundia, et elegantia uteretur. Illud vero incommodum, quod se traductum in publicum potius quam productum editis suis epistolis existimans, nunquam deinceps ad Maiansium latine scribere sustinuit: ut hinc etiam constet, quam vera, quam non fucata fuerit eius modestia, quamque parum ample de se ipse sentiret. Atque hic primus fuit Finestresio gradus ad praeclaram de eo hominum existimationem. Cum enim Maiansii epistolae, iterata mox etiam Lipsiae editione, in manibus eruditorum non Hispaniae solum, sed etiam Galliae, Germaniae, Italiae tererentur, incurrebant in eorum oculos laudes, quibus Maiansius nostrum vel in primis ornabat; quam vero merito id etiam litterarum indicio deprehendebant. Id ipsum testatur Maiansius: „ex omnibus ' ait' qui meas legunt epistolas nemo est qui non „ suspiciat tuas, et iure quidem merito, virum te magnum unum „ Cataloniae praedicant: id et audio, et lego non sine ingenti animi „ voluptate." Accedebat quod cum multis clarissimisque amicitiis floreret, nihil prius habebat, quam ut illum amicis suis quasi de manu in manum omnibus traderet.

Per idem tempus post varios casus nova dignitas splendorque

et academiae et Finestresio affulsit. Ab anno quinto et vicessimo decesserat vir sapientissimus et innocentissimus Franciscus Queraltius, cuius obitu preterquam quod quasi orbata patre videbatur academia, per totos septem deinceps annos sine supremo magistratu fuit. Qui interea gubernaculo admovebantur, istud satis constanter regere non poterant. Nam et breve illis tempus erat, et precarium imperium, nec certa auctoritas, nec iurisdictio satis legibus definita, ut mirum non sit si variis illa iactata casibus secundum cursum tenere non potuit, et in peius ruere, ut scripsit Finestresius, et labi quotidie visa est. Quid caussae fuerit huius tam diuturni, ut ita dicam, interregni parum compertum habeo. Quantum coniectura assequi possum, id in caussa fuit; nam cum interea legatus Romam missus esset clarissimus Michael Gonserius de commodis academiae procurandis, legibus decreto pontificio muniendis, novis iuribus et privilegiis obtinendis, exspectabatur scilicet dum fundata iam prorsus academia, novo gymnasiarchae regenda committeretur. Obita tandem praeclare legatione, rebusque omnibus ex regis sententia perfectis Cervariam anno MDCCXXXII. remeavit Gonserius. Leges auctoritate pontificia et regia sancitae: iis retractandis, emendandisque delecti ex omni doctorum ordine viri, Finestresius in primis, adhibiti: designatus faustissimis auspiciis gymnasiarcha Narcisus Queraltius magni illius Francisci germanus frater, cuius imperio academia summi illius viri memoriam renovaret, desiderium leniret, prudentiam et caritatem minus requireret. Vix constituto iam academiae statu, meliori etiam firmiorique conditione usus quoque est Finestresius. Nobilis vir Antonius Vega, et ipse per sese et Iosepho filio egregio litterarum cultore et fautore perhibendus, ultro abdicavit munus interpretandi pomeridianis horis iuris; percommode autem accidit ut Finestresius ei viro succederet, quem ex instituto et moribus academiae paene parentis loco habere et colere debebat. Nam cum ille pro-doctoris gradum et insigne peteret, Vega ei in petitione adfuit, senatui academico eundem stitit, totique exercitationi qua ad eum honorem de more

proludebat, praefuit, eumque rite pro-doctorem renuntiavit. Fuit enim Vega ex eorum numero, qui quemadmodum veteres illi romani Scaevolae, Aquilii, Sulpicii, ad vetustam generis nobilitatem iuris insignem prudentiam adiungebat. Ille siquidem cum ex primaria cervariensi nobilitate ortum duceret, ac paene princeps nobilitatis esset, et cum clarissimis Cataloniae gentibus necessitudinibus, et propinquitatibus devinctus, diligentissimam tamen iuri civili et litteris operam collocavit. Exinde factum est ut ab ipso fere conditae academiae exordio cum antecessoris munere magna cum laude saepe functus esset, ad cathedram supremae proximam ascenderit, ad supremam quoque mox conscensurus, nisi cura rei familiaris et domestica tempora eum ab hoc cursu laudis abdicato munere revocassent. Tunc vero apparuit quanta de eo esset in iuris civilis professione scientiae existimatio. Illum etenim rex magnanimus Philippus V. dignum existimavit in quem singulare prolixae suae voluntatis et munificentiae exemplum ederet: cum, id quod vix alteri deinceps contigit, praeclaro eum privilegio ornavit, ut foro academico uteretur, non secus ac si in castris academiae stipendia faceret. Quae res non solum praecipuo illi honori fuit, sed magnum inde percepit fructum. Sic enim iura sua et lites in consilio iudicum academiae ipse per sese persequi, atque ita rem omnem familiarem multo facilius minusque sumptuose explicare, et impeditam expedire, non sine magno compendio et domestici census amplificatione potuit [1]. Petitio huius muneris ab Antonio Vega ab-

[1] Haec omnia constant partim ex ipsis academiae actis, scilicet: *libro de grados que comienza á diez y nueve de noviembre del año* 1718, *y acaba en* 1761; *y libro de posesiones de cátedras*. Constant etiam ex libello supplici Philippo regi oblato, quem subiicere operae pretium duxi. = Señor. = El Doctor Don Antonio de Vega y de Copons, catedratico de visperas de leyes de la real universidad de Cervera gloriosa fundacion de V. M. en el principado de Cataluña, puesto con el mayor rendimiento à los reales pies de V. M. representa: como habiendo merecido la honra de ser elegido de V. M. para una de las cátedras de esta su universidad literaria casi en su primer sér y formacion ya para regentar una de sus cátedras menores de leyes, que por ocho años obtuvo,

dicati, quod et perpetuum est et amplum, sollicitum habuit Finestresium, ut ipse fatetur. Verebatur scilicet vir modestus, ceteris artibus instructus omnibus, a prensandi vero arte prorsus imparatus, cum de sua dignitate agi videret, ne gratia ab aliis in pe-

tuvo, ya despues de la general oposicion nombrandole V. M. entre otros muchos opositores para la cátedra de propiedad de visperas de la misma facultad, que ha regentado hasta aquí quatro años mas, aplicando en todos estos doce años su mayor conato y desvelo para corresponder á la real confianza, y satisfacer á la utilidad comun, y deseando sacrificar en adelante en el empleo sus años, y su salud: mas como ésta á causa del mucho estudio se halle notablemente quebrantada, é inhabil para insistir con aquel primer conato en tan penosa tarea, mas quiere verse privado de la cátedra y bien particular que en ella fundaba, que faltar á la real confianza y defraudar al bien público de otro catedrático que pueda mejor desempeñar entrambas obligaciones. Por estas razones espera el suplicante, tendrá à bien la real piedad exonerarle de esta carga, y admitirle la dexacion de esta cátedra, confiando al mismo tiempo, ha de merecer á la real largueza, le conceda para en adelante el goze del fuero academico con una corta gratificacion annual en la misma universidad con otro qualquier honor literario, que sirva de indice del mérito de su saber; honra que havida por sus propias letras, y de una tan grande Magestad le seria mas apreciable que otra qualquier nobleza heredada de sus mayores. Cervera &c.

Habiendo dado cuenta al Rey de la representacion inclusa que hizo Don Rodrigo de Zepeda en 16 de agosto de 1729 sobre instancia del Doctor Don Antonio de Vega y de Copons catedrático de visperas de leyes de la universidad de Cervera, ha venido su Magestad conformandose con el dictamen de aquel ministro en que sea admitida á dicho Don Antonio la renuncia de la cátedra, y en que se le conserve el fuero academico. Y así lo participo à V. S. de su real órden para su cumplimiento. Dios guarde á V. S. muchos años como deseo. Palacio 19 de octubre de 1730.=El Marques de la Compuesta.=Sr. D. Antonio Francisco Aguado.

Su Magestad ha admitido al Doctor Don Antonio de Vega y de Copons su renuncia á la cátedra de visperas de leyes de esa universidad, y manda, que en ella se le conserve el fuero academico. Lo que de su órden participo á V. S. para su cumplimiento, y en conseqüencia de ello encargo á V. S. ponga luego edictos para la oposicion de la referida cátedra segun estatutos. Dios guarde á V. S. muchos años como deseo. Madrid 28 de octubre de 1730. = Don Antonio Francisco Aguado. = Señor Don Francisco Meca. = Es conforme á los documentos autenticos que están en el archivo de la universidad: armario número 1°. lio 2°.

titione vinceretur. Sed vicit insignis quae de eo erat existimatio doctrinae, et illustria adversum academiam merita, et summo consensu electus est antecessor. Hactenus ille institutionibus iustinianeis enarrandis studia sua pro professionis suae munere impenderat. Quamquam non ita totus erat in ea iuris parte tractanda, quin alia simul commentaretur. Nam eodem tempore institutiones iuris patrii instar imperialis iuris institutionum scribere aggressus est. Quo in opere multum iuvabatur exquisita priscae nostratis linguae cognitione, in qua nostrarum constitutionum et legum volumina conscripta sunt. Dolendum est opus affectum reliquisse, cuius tamen aliquae partes paene perfectae et absolutae sunt. Haberent institutionum antecessores paratam sylvam rerum, quo quid ius quo utimur, ab iustinianeo distat, ex legum academicarum praescripto ostenderent. Vespertinus igitur legum antecessor, ex institutionum angustiis tandem eluctatus, latiorem nactus pandectarum campum in quo libere incederet, coepit iam tum inter dictata academica Hermogenianum interpretari, et excipientibus dictare. Quantum iam in eo processisset, ex litteris eius hispanicis hoc anno MDCCXXXII. conscriptis addiscimus [1]. Ego pedetentim, ait ad Maiansium, neque enim aliter possum prae valetudine, et capitis doloribus quibus interdum conflictor, commentarios in Hermogenianum urgeo. Leges dumtaxat quinquaginta enarravi, quamquam in aliquarum enarratione late excurri. Stimulis tuis excitatus, quantum valetudo patietur, totus in operis continuationem incumbam.

Dum haec meditabatur Finestresius legum vespertinus antecessor, iuris civilis primarius antecessor vir doctus Laurentius Santayana eximiam iuris criminalis partem sibi in novo lumine collocandam usurpavit. Agitur enim in toto opere de senatus consultis ad leges publicorum iudiciorum factis [2], quae quidem senatus

1 Cartas á Mayans de 18 de mayo, y de 21 de septiembre de 1732.

2 Operis inscriptio est: *senatus romanus iustus criminum vindex; sive de senatus consultis romanis ad leges publicorum iudiciorum factis. Auctore D. Laurentio Santayana et de Bustillo salmanticensi iuris consulto, et in cervariensi academia primario iuris civillis antecessore. Cervariae typis academicis anno* 1733. *in* 8°.

consulta in pandectas relata sint. In hoc opere Finestresii manum sibi visus est agnovisse Maiansius, quamvis non illud omnino dignum elegantia doctrinae et eruditione eius existimaret. Hanc a se suspicionem reiecisse illum, aut quid amico rescripserit non reperio. Quam vero subtilis et intelligens harum rerum hic esset existimator et iudex, apparet ex litteris Finestresii vernacule ad Dovium scriptis. Ex his liquet increbuisse hanc opinionem, quasi nihil paulo eruditius esset et cultius in quo aliquam sibi partem non ille vindicasset. Dovio igitur, cui nihil conditum, nihil opertum erat, de hac hominum existimatione scribens: auctor quidem, inquit, opus suum arbitratu meo emendandum commisit, facta etiam potestate ut tollerem, adderem, mutarem, retractarem quae vellem quaeque sentirem. Ego parce nec tam licenter ea libertate usus sum: verba aliquot tantum, et loquendi genera emendavi, ex quo intelliges stilum esse non meum, sed eius cuius nomen praefert auctoris. Negare quidem non possum me eum quasi manuduxisse, et indicavisse quo ordine via et ratione argumentum tractaret: in quibusdam capitibus iisque difficilioribus sensum meum rogatus aperui, nonnulla etiam ex codicibus meis attuli, quae hinc inde inspersa sunt. Hoc vero quidquid est, nihil de laude docti viri detrahit; quin ipse operis auctor ex asse dicatur et vere sit. In eo auctor sibi non satisfecit, quia res erat maioris operae et commentationis; ut opus effuderit potius, quam legitimo partus tempore ediderit: sed ipsius tempora et fortuna limae moram et laborem exspectare non poterant. Quare non pauca accuratius expendenda et quasi cribanda erant. Quod si scribendi festinationem consideres, non parum operae fecisse pretium existimabis [1]. Quod Finestresius ait quam parum auctor sibi de operis perfectione et absolutione blanditus fuerit, id ipse ultro profitetur. „Erunt ' ait ' in hoc libello quae „minus fortasse probabuntur, quae si quod sentio ingenue fatendum, nec mihi ipsi magnopere probantur: ita enim ingenium meum „comparatum habeo, ut de scriptis meis, quod Ovidius de suis, sentiam:

1 Carta catalana de 1731.

Cum relego scripsisse pudet, quia plurima cerno
Me quoque qui feci iudice digna lini.

Nimis tamen diffidere de operis sui praestantia videtur; nam et argumenti dignitas et utilitas, et non vulgaris doctrina, et in interpretandis senatus consultis accuratio, et quod primus data opera in eo argumento versatus sit, non mediocrem merentur laudem. Ordo autem et tractandi via lucidissima et vere finestresiana. Ante omnia quidquid iuris in republica ante factum senatus consultum fuerit exquirit; quod quidem nimis levi brachio agit, et parum id forte finestresianum, ut vere est, credidit Maiansius: deinde descriptum senatus consultum exponit, expensis diligenter doctorum non proletariorum, sed vere classicorum sententiis, a quibus non semel nec immerito recedit, ut suam valde probabiliter constabiliat: tandem iura quae condita deinde sunt eadem diligentia evolvit. Tractatus a duumviris doctissimis Petro Ioanne Finestresio, et Michaële Gonserio in censuris operi praemissis, et a Iosepho nostro eleganti et erudito scazonte laudatus est. Institutum erat auctoris de reliquis senatus consultis quae in iure continentur edisserere. Quod si prima curis secundis retractasset; cetera, ut pollicitus est, qua par est diligentia persequutus esset, praestantissimam minusque tritam, et cognitione dignissimam iuris publici et privati romanorum partem illustratam haberemus. Tulit tamen Santayana fructum industriae suae, cum mox consilii caesaraugustani iudex stlitibus iudicandis electus est, quod praemium nostris iure consultis propositum est vel amplissimum.

Tunc vero nova eaque multo gravior sollicitudo Finestresii animum exercuit. Santayanae successor designandus erat. Videbat ille non sine ignominia repulsam in petitione pati posse; se in professorio munere huic honori proximum honorem obtinere; plura quam reliqui competitores stipendia academica meruisse. Quantum vero in honorum petitionibus gratia, quantum saepe favor et potentium suffragatio valeant intuens, angebatur animo vir qui longe ampliora reipublicae munia persaepe repudiavit. Quam animi sui

curam in amici sui Maiansii sinu deposuit, in eoque spem maxime repositam habebat. Hic vero lectis utriusque hispanicis litteris haeret animus, quid mirer potius pudoremne Finestresii, an in sublevando amico enixissimum Maiansii studium. Erat hic bibliothecae regiae matritensi praefectus: non carebat ille quidem obtrectatoribus, gratia tamen apud potentiores plurimum poterat. Hic vero tam sedulo, tanta sollicitudine amici petitionem adiuvavit, ut ne pro se quidem magis laborare potuisset: fautores illi suos adiunxit; de eius laudibus nunquam conticescens in omnium animis magnam de eius doctrina et eruditione opinionem excitavit. Quid vero magnopere timeret Finestresius non facile dictu est; cum et petitionis tempus suum obiret, et in campum descenderet tot stipatus suffragatoribus quot erant eius in litteras, et academiam merita. Nam ut hic ea breviter recenseam et uno proponam aspectu, simulque alia adhuc indicta commemorem: ubi primum Cervariam academia translata est, in incondito illo rerum statu per triennium ius civile interpretatus est: cum aliquam iam decreto regio res publica formam accepit, quadriennio toto imperialium institutionum antecessor fuit extraordinarius. Deinde ubi peti iam rite honores caepti sunt, per bina eaque perpetua quadriennia idem munus exercuit. Interea cum primarius antecessor dignitate a rege auctus abesset, pro eo dictata praelegit, praefuitque generalibus thesibus *de rebus creditis* absoluto curriculo de more defendi solitis; et inter petitores cathedrae quae dicitur primaria, itemque vespertinae nomen suum cum laude professus erat. Mox rursus per quinquennium institutionum antecessor, nondum elapso suo tempore pro antecessore vespertino per annum tractatum *de pactis* dictavit, eumque thesibus generalibus defendendum, aliasque iterum theses *de dissolvendis obligationibus* praeses proposuit. Ab anno MDCCXXXI. pomeridianis horis legum erat antecessor, quod munus quadriennium totum iam tunc summa cum doctrinae laude gesserat. Per id totum tempus nihil magnopere in academia actum est, quod quidem ad litteras pertineret, in quo non ille in primis adhiberetur, sive

latinae litterae ad pontifices virosque principes scribendae essent, sive academia de rebus difficillimis consulentibus regiis administris, aliisque responsum ederet; sive regum funera aliaque sollemnia musarum donis ornanda. Qua quidem in re cum Ludovico I. in ipso adolescentiae et imperii aditu acerbissima morte erepto parentandum toto octiduo fuit, et in ceteris, pro sua ingenuarum artium singulari facultate, praecipua eius fuit opera; et complura panxit diversi generis poëmata. Nec praetermittendum est quod fatetur ipse: se primo quidem profluentem illam pueritiae et adolescentiae fundendorum carminum venam desiderasse, quae mox accedente usu et exercitatione eadem fere copia et ubertate, haud paullo vero maiore elegantia promanavit. Praeterea nulla pars fuit rei publicae academicae quam ille summa cum fide non capessiverit. Ille academiae primicerius fuit; ille exigendis rationariorum calculis et rationibus praepositus; ille sartis tectis exigendis et recipiendis aedificiis praefectus; ille aedium academiae curator; ille typographiae procurationem diligentissime gessit. Omitto alia in quibus inest non parum commodi, etsi splendoris et pompae minus. Cum haec tanta essent in eo praesidia quae illum in petitione sublevarent, non deerant etiam alia quae illum magno et securo animo esse iuberent. Nam si in honorum petitionibus propinquorum praeclare de republica meritorum suffragatio plurimum potest, quantum Finestresii animus, duorum germanorum fratrum, qui duo vere erant iurisprudentiae et gymnasii lumina, vel ipso nomine et tacita commendatione pro fratre prensantium erigi par erat? Ille tamen cum et egregie de litteris meritos, licet gestis honoribus impares, habere se competitores diceret, cum a deprecatoribus et fautoribus blande appellandis et ab omni prensatione abhorreret, parumque de se magnifice sentiret; in magno se dignitatis suae minuendae discrimine versari existimabat, si tot defunctus academicis honoribus in petitione succumberet. Quam vero parum de se ipso confideret ostendit cum in litteris ad Maiansium; praelegi, inquit, in petitione ad *l. debitor* 59. *ad S. C. Trebellianum* si re-

liquos audis, optime; ego vero mihi ipsi parum satisfeci. Quam id immerito et academici senatus egregia de eo testificatio, et academiae apud regiam curatoris favor, et regiorum administrorum aequitas planum effecit. Cognita enim eius virtute, cuius rei praecipua laus Maiansio plane tribuenda, non solum primarius legum antecessor, quod unum ambibat, summo omnium consensu plausuque electus est, sed praeterea ad amplissimos togae honores ultro vocatus. Erat tum inter regios administros marchio Compostensis inter ceteras laudes, litteris etiam et ingenuis artibus excultus. Quam vero esset litterarum doctorumque virorum amans testatus est cum instructissimam bibliothecam, quam magnis collegerat sumptibus testamento publicam esse et Caesaraugustae litterarum studiis patere iussit. Is igitur eam tum gerebat rei publicae partem quae in tribuendis virtuti praemiis et honoribus versatur. Audita autem Finestresii eximia doctrina pari cum virtute coniuncta, de conditione vitae eius diligenter quaesivit, ut eum pro re nata vel amplissimo sacerdotio, si sacris initiatus esset, ornaret, vel contra ad maximos togae honores eveheret. Hic vero Finestresio aliquid simile contigit, quale de Allatio perhibetur. Hic enim cum urgeretur, ut vel presbiter consecrari vellet, quo sacerdotio ex praesulum ordine donaretur, vel si secus vitae suae rationem instituisset honestissimo tandem coniugio potiretur, utramque conditionem constanter reiecit, neque ullis se vinculis adstringi passus est, quae cum vellet laxare non posset. Finestresius pariter honoribus academicis, et vitae caelibis liberaeque conditione contentus marchioni Compostensi maximas gratias egit pro prolixa in eum voluntate, neque foro tamquam ergastulo, et litibus iudicandis addici passus est. Quin et non semel octo sacerdotia ex canonicorum ordine, ad quae iure suo vocabatur, aliis reliquit optanda. Hanc vero vitae rationem et institutum quod ipse repudiavit, eodem tempore ultro amplexi sunt duo Finestresii fratres et in academia collegae, de quibus res admonet ut aliquid dicamus, priusquam maxime insignem vitae eius partem, in qua de scriptis ab eo editis

dicturi sumus, aggrediamur. Hi fuerunt Petrus Ioannes, ac Franciscus, et sapientia, et pietate vere germani. Ac Petrus quidem anno etiam maturius quam Iosephus iurisprudentiam Barcinone audire coepit, ex cuius academiae actis constat, eum omnes honores consequutum, qui in diligentissimum, et ingeniosissimum quemque cadere possent. Imitatus deinde fratris exemplum mature se Cervariam contulit, et ibi utrumque ius diu interpretatus est, et vespertinus iuris canonici antecessor tandem fuit. Interea academia cervariensis honorificentissimo aucta est privilegio, ut professores qui ecclesiasticam vitae rationem vel iam profiterentur, aut vellent profiteri octo sacerdotia ex totidem primariis canonicorum collegiis in orbem optarent. Quod quidem privilegium, quod litterarum, immo et ipsorum collegiorum bonum, quo viris doctis abundarent, expressit, reclamantibus licet ipsis, in mores tunc induci coeptum est. Quare inter primos Petrus Ioannes iure usus academico in ilerdense canonicorum collegium ascitus est. Ibi cum et sanctitate vitae et doctrina floreret, ecclesiae tabulario praepositus est. Inter haec prisci aevi monumenta impetus eum coepit historiae ecclesiae suae conscribendae, quam cum diu versasset, multaque collegisset perficere propter infirmam valetudinem non potuit. Nam caecitatis calamitate perculsus, accedente affectione hypocondriaca postremis vitae annis in maerore iacuit. Decessit ineunte fere anno MDCCLXIX [1]. Eadem prope omnia de Francisco dici possunt. Nam et iuris utriusque consultissimus fuit,

1 Temperare mihi non possum quin recitem, quid ad nuntium mortis huius rescripserit Maiansius; ut christianae pietatis, quae in his amaebeis litteris eminet, specimen, cuiusmodi sexcenta afferre possem, aliquod saltem existat: „El gozo, *inquit*, que tuve al ver letra de Vm., se convirtió en un sentimiento muy grave por el asunto de su carta: no porque dexase de conocer, que debemos dar „gracias á Dios por haber llevado á su eterno descanso al señor canónigo Don Pedro Juan Finestres dignisimo hermano de Vm. sino porque es cosa sensible que nos „falten las personas que debemos imitar en la virtud, que es la sabiduría de los christianos. Ademas que el señor D. Pedro estaba adornado de todas las demas dotes de „animo, que han sido caracteristicas de los hermanos señores Finestres, de quienes „Vm. ha sido el director, y lo es de todos los que quieren aprovechar. En fin Dios

lo

et interpres professorque in academia cervariensi, et ex hac professione canonicus gerundensis privilegio academico factus litteris et pietati studia sua omnia consecravit; quam vero diligentem libris perlegendis daret operam apparet ex eo, quod vir clarissimus Franciscus Xaverius Dorca scribit, habere apud se complura volumina bibliothecae Francisci Finestresii, in quorum margine illitae sunt observationes plurimae, ex quibus quantum in re critica et litteraria valeret intelligi facile possit. Sermone etiam latino, et soluto, et adstricto numeris emendate et eleganter utebatur. Vir fuit gravis, magni consilii, magnae pietatis. Spes tantas intercepit gravissimus qui eum in senectute perculit casus. Totos enim novem annos ante obitum defectus oculis eam calamitatem constanter tulit; nec ullam fracti aut debilitati animi significationem dedit: in divinarum rerum litterarumque meditatione mentis oculos tanto acrius intendens, quanto minus a corporeis ad haec caduca abstrahebatur. Plane ut de hoc oculatissimo caeco dici queat, quod de Didymo ait Hieronimus, caecus cum esset eis qui vel acute maxime cernerent praeluxisse. Decessit Gerundae anno MDCCLXII. decoratus a collegio epitaphio teste virtutum Francisci et grati canonicorum erga collegam animi.

„ lo ha querido así. Humillemos nuestra voluntad reformando el modo de pensar, que
„ nos inspira el amor propio. Vm. viva muchos años con lo que Dios ha ordenado: y
„ quiera Dios que la tristeza de su ceguera haya sido como aquella que alaba el
„ Apostol paraque habiendo sido mérito, le haya librado ó hecho esento de las penas
„ del purgatorio, y nos espere en la eterna bienaventuranza, para amarnos y regosijarnos perpetuamente en Jesu-Christo."

Hic jacet
Illustris Franciscus Finestresius
Presb. iur. can. doctor
Eiusdemque olim professor
In Academia cervariensi
In hac vero alma Ecclesia
Pro eadem Academia canonicus
Pius probus
Ecclesiae suae amans
Cui rem omnem in pia suffragia
Testamento moriens legavit
Obiit kalendis octobris
Anni M.DCC.LXII
AEtatis vero suae
Anno LXXIII.

DE VITA IOSEPHI FINESTRES

COMMENTARIORUM LIBER TERTIUS.

Aggredimur iam eam vitae Finestresii partem, in qua laudum suarum pars maxima continetur. Dicturi enim sumus de lucubrationibus scriptisque suis, quibus ius civile romanorum et litteras illustravit. Ubi supremum honoris academici gradum attigit tamquam qui decursis ceteris honoribus consulatum adeptus est, illius omnis ambitionis cursus extemplo constitit, impetusque resedit. Honoribus contentus academicis ceteros omnes neglexit, aut etiam ultro oblatos constanter repudiavit. Id unum deinceps animo versabat, quemadmodum lucubrando, docendo, consilio, libris, omni ope, academiam, litteras, auditores suos, omnes iuvaret. Ac statim primis ipsis annis praeter dictata de rebus, quae ex lege academica excipientibus praelegenda erant, quaeque diligentissime accurabat, doctum et laboriosum *de iure dotium* tractatum absolvit. Commentarios in Hermogenianum iam inchoatos persequutus est. Historiam iuris catalauni molitus est, sylvamque rerum ad eam pertinentium in adversaria retulit. De hoc molimine, rem cum Maiansio more suo cum communicasset, mirifice ille susceptum opus probavit, et ad perficiendum hortatus, praeterea pollicitus est se etiam iuris valentini historiam conscripturum. Quam in rem, ut ab eruditissimo eius fratre Antonio accepimus, multa etiam collegerat. Tota autem ea susceptio intra vota, et adversariorum syllogem stetit. Quod si hanc historiam et iuris patrii institutiones, de quibus supra, quae exorsus erat pertexuisset, magno sane adiumento imperialium institutionum antecessoribus fuisset, qui lege academica quid ius nostrum a romano distet et quatenus obtineat, tradere iubentur. Quamquam ne in hac quidem parte aliorum studiis sublevandis defuit, et in tractatibus suis de tota hac iuris varietate diligenter admonet. Verum haec et alia quae in scriniis et pluteo reposita et iam perfecta habuit obtineri ab eo non tum potuit ut prelo committeret. Cum autem typographio academico praepositus esset dedit

potius operam, ut libri aliorum iuridici ad academiae usum opportuni ederentur. Praetermitto Bartholomaei Chesii interpretationes iuris, quem librum edidit non quod auctorem iuris valde bonum, sed quod auditorum exercitationibus idoneum, et idcirco vendibiliorem, in quo tamen fugit eum ratio, iudicaret. In Altamirano maior fuit opera et fructuosior; quamquam ne Chesio quidem defuit, eumque haud paulo emendatiorem instructioremque dimissit. Erat inter Maiansii codices Ioannis Altamirani commentarius in primos terdecim ex viginti libris quaestionum Q. Cervidii Scaevolae. Hic cum eidem valde probaretur, de eodem recensendo et evulgando fidem suam non semel obstrinxerat. Quam ut exsolveret, cum ipse facile non posset, codicem edendum Finestresio missit. Quanta cum relligione, quanta diligentia in emendando recognoscendoque codice versatus fuerit, et ex docta et eleganti praefatione intelligitur, et multo etiam magis ex hispanis ad Maiansium litteris. In codice recensendo, inquit, caute admodum et pedetentim incedo. Nihil prorsus corrigo, quod ferri utcumque possit, nisi ubi descriptoris mendum manifeste apparet. Altamiranus, praeterquam quod eius stylus valde pressus est et exsuccus, sententias ita coniungit ut raro interpungat. Ita verbum unum aut praetermissum aut emendatum magnum mihi laborem molestiamque creavit. Sancte deierare possum, duarum horarum meditatione mihi constitisse unius periochae non longae emendationem, nec plane tamen mihi satisfecisse. Ita ille: quod ideo dicendum existimavi, ne quis in Altamirano edito, Altamiranum requirat, quod nimis saepe in postumis scriptorum operibus usu venire solet; quorum editores omnia sibi licere in vita functorum scriptis arbitrantur. Quid praeterea in adornanda editione praestiterit, quanta diligentia summaria quae dicuntur, indices, cetera accurarit, ex ipso volumine peti facile potest. Quam praeclare vero in eo vulgando de iuris scientia meritus sit, ostendunt ampla de auctore doctissimorum virorum iudicia. Ac primo occurrunt duo illa iurisprudentiae in academia cervariensi lumina Iosephus Molinerius et ipse Finestresius, qui licet alias in alia omnia eant, hic qui-

dem mire consentiunt: nisi quod Molinerius iudex gravis et severus plusculum etiam Altamirano quam noster tribuit. His duumviris, de quibus alias dicendi locus erit, Maiansius accedit, qui virum magno ingenio Altamiranum vocat, et aliis eum mactat praeconiis. Et sane in commentario cuiacianum et goveanum interpretandi genus sequitur, leges ex legibus quantum fieri potest explicat et conciliat, nodos et difficultates acute videt, nec minore subtilitate dissolvit, interpretes non nisi primi subsellii, idque parce in partes vocat, ex eorum sententiis non pendet, sed eas severe expendit, eruditionem neque affectat, non enim libenter diverticula in quibus spatiari possit consectatur, neque non ubi postulat locus adhibet. Quare mirum non est Meermannum tanti Finestresii Altamiranum fecisse, ut post recentissimam editionem, denuo illum in secundo thesauri iuris civilis et canonici volumine publicaret. Haec editio non solum elegantia superat cervariensem ad quam exacta est diligenter; sed etiam quod in illa additae quaedam commentariorum particulae post primam editionem a Maiansio ad Meermannum transmissae. Huius tamen gravissimi, et ex optima salmanticensi disciplina iure consulti nomen iacebat in tenebris, ipsisque lusitanis civibus suis, et salmanticensibus apud quos floruit, ignotus fuit. Quidquid autem ex ipsius et aequalium scriptis expiscari potuit, cum cura Finestresius in prefatione collegit, iteravitque Meermannus. His addi potest quod multis post annis [1] scripsit ad Maiansium accepisse se a Iosepho Martinerio, qui quidem id Vallisoleti a senatus praeside maximo natu homine, qui Salmanticae Altamiranum norat, audiverat: Ioannem scilicet Altamiranum ob quasdam violatae relligionis suspiciones in vincula clam coniectum adeo, ut quid illo actum esset omnino nesciretur. Cum diu abesset et edicto de more vocatus ad dictam diem se non stitisset in locum absentis Ramosius suffectus est. Cum vero discussa, sive suspicione, sive calumnia, iudicum sententia ab omni culpa liber comparuit; tunc enim vero pristinum dignitatis gradum vindicavit Alta-

[1] Litt. hisp. 11. sept. 1754.

miranus causatus absentiam non fuisse voluntariam, neque adeo contumaciae argui aut damnari posse. Res ad regium senatum delata est; qui edixit ut et Ramosius locum teneret quem in petitione optimo iure obtinuerat; Altamiranus vero antecessor extraordinarius, eodem quo antea stipendio, mereretur. Nimirum id insignis sapientiae et doctrinae utriusque, alterius etiam innocentiae per summum nefas appetitae tribuendum prudentissime existimavit. Haec habui quae ad ea quae summa cura collegit et retulit Finestresius excripsitque Meermannus, adderentur. Neque vero bibliothecae lusitanae auctor Didacus Barbosa Machadus, cui ignotus antea erat Altamiranus, quidquam novi attulit: eadem dumtaxat in appendice refricavit. Illud etiam ignotum illi bibliographo fuit extare M. S. Altamirani tractatum *de Praebendis et Dignitatibus* Finestresii iudicio doctum elegantem praeloque dignum, ut ab homine profectum in iure canonico exercitatissimo, qualem se in ipso in Scaevolam commentario prodit.

Interea dum Altamiranus praelum academicum exercebat nova res magnum animum addidit Finestresio, nova edendi et potiora, et omne augendi typographicum instrumentum. Narcisus Queraltius ex gymnasiarca cervariensi creatus fuit episcopus abulensis anno MDCCXXXVIII. Suffectus est ei vir doctissimus Michael Gonserius primarius iuris canonici professor. Cum eo Finestresius et studiorum, et omnium officiorum vicissitudine coniunctissime ab adolescentia vixerat. Ubi primum in summo magistratu inauguratus est, agitari consilia inter eos caepta sunt de emendando iuris civilis et canonici studio, deque nova ratione et via utriusque tradendi ineunda. Ac primum cum novi libri aut edendi aut recudendi essent, novos latinorum elementorum typos conflandos curavit, et egit cum matritensibus et lugdunensibus ut graeci mitterentur. Quod quidem postremum multo serius quam oportebat effectum est. Rem totam de utriusque sententia, communi utriusque amico Maiansio aperuit Finestresius. Lectu dignissimae sunt et Finestresii de tota hac re litterae, et bene longum doctumque Maiansii responsum. Sed

quoniam res ultra propositum non processit, summa tantum capita quam brevissime exponam. Ratio quam Finestresius inibat haec erat, ut auditores studium iuris non illico Vinnii commentariis auspicarentur, sed toto biennio in Galterii Theophilo renovato diligenter exercerentur, additis sub finem biennii titulis *de regulis iuris*, *et de verborum significatione*, cum brevi utriusque commentario; deinde altero biennio Vinnio operam darent: postremum biennium, sexennio enim studii legum in academia curriculum absolvitur, quae oportuniores existimentur pandectarum paratitlae sibi vindicarent [1]. De iure canonico ampliandum adhuc censet: quod quidem in cervariensi academia florere maxime fatetur, idque in primis duobus Finestresiis fratribus iuris canonici doctissimis profesoribus, et eiusdem primario antecessori Gonserio acceptum referri oportet. Paullo aliter rationem iniit Maiansius, in quo fortasse vir consultissimus quid factu optimum esset potius quam quid fieri posset praefinivit. Ac primo intra quinquennium scholasticum iuris curriculum circumscripsit. Commentarios Vinnii omnino, cum laudis praefatione, sed tamen excludit: primum biennium Galterio et Vinnii partitionibus iuris, vel Heineccii elementis secundum ordinem institutionum, aliisque secundum ordinem pandectarum tribuit. Reliquum tempus interpretandis ipsis pandectarum legibus impendit, qua quidem in re auctorem habet, quem sequatur, ipsum Iustinianum. Et sane haec est nobilissima et gravissima corporis

1 Aliam tamen postea studiorum viam proposuit in litteris anno 1748. ad Dovium patrem, quae iisdem verbis refero: „Supuesto que en la aula y conferencias se ha-„brá de estudiar el Vinio, me parece que las obras de Heineccio pueden formar un „noble iurisconsulto: en el primer año se podria mirar el tomo sobre la instituta „y en el verano de las antiguedades romanas todo lo que corresponde à lo que se ha-„brá dado en la escuela. En el segundo año proseguir de la misma manera. En el ve-„rano del año tercero leer la historia del derecho civil del mismo, y en el quarto des-„pues de bachiller las paratillas sobre las pandectas, y en el quinto repasarlas, y leer „el libro *de iurae naturae et gentium*." Hanc viam ingressi sunt et si non totam, magnam eius partem percurrerunt egregii in academia adolescentes, in quorum manibus nulli crebrius, secundum Vinnium, quam Heineccii libri versabantur.

iuris pars, cuius plerique auctores non tam iuris privati romanorum conditores, quam totius societatis humanae legum latores videntur. Quod si cruda adolescentium studia haec ferrent nihil fieri poterat fructuosius. Alia addit Maiansius his nostris temporibus etiam difficiliora factu: postremo dandum aliquid, ait, evolvendis disputationibus, et tractatibus, quos satis multos ipsum et Finestresium sufficere posse merito sibi persuadet. Quod vero inter pandectarum interpretes quos commendat Brunnemannum omittat mirum videri potest, cum is maxime rationi quam instituit opportunus sit, qui fere unus non titulos pandectarum universim; sed singulas leges interpretatur. De iuris canonici studiis incertus quoque haeret: et plane fortasse non tantus in hoc quantus in civili fuit. Ianum a Costa et Corvinum nominat, neque animadvertit Costam primum tantummodo decretalium librum, et secundi partem interpretatum esse. Quod si compendiis res agenda est nec Corvinum praeferendum existimo aut Lancelloto, qui et presse haeret institutionum imperialium ordini, et suas ipsis canonum verbis, quos accurate laudat contexuit; additis praesertim Douiàti observationibus. Hic enim adiecit ius quo post concilium tridentinum utimur, quodque Lancellotus data opera praetermissit, et vetustum quod ante conditum corpus canonum obtinuit. Anteferrem etiam Franciscum Royam. Hic vir et antiquitatis ecclesiastice peritus, et canonum consultissimus, vel ideo commendandus quod Iustinianum imitatus, primo quid ius antiquum iuberet, quid posterius deinceps mutavit sedulo recenset, nisi quod aut paullo contractiores quam ut sufficere, aut disciplinae gallicae nimis inhaerentes, quam ut nostris canonum auditoribus convenire tunc praesertim possent. Uterque vero praetermittit, quae vel in primis memoranda erant, Cironii in decretales paratitla, nam et ultra compendii angustias progreditur, et eruditus in paucis est iuris canonici interpres quamquam in eo potior est eruditio, quam canonum prudentia, qua abundat Engelius. A Gonzalezio memorando potuit illos deterrere voluminum magnitudo, qui quidem cum Iano a Costa, si is commentarios suos absolvisset, cum a pragmaticis

recedas, instar omnium esse posset. Nam quae postremis hisce annis magno numero bonae, malae prodierunt institutiones canonicae ad hoc tempus non pertinent.

Sed haec omnia incaepta intervertit non multo post sequuta Gonserii mors. Ille post initum magistratum vix quadriennium totum academiae praefuit; atque hoc toto tempore parum commoda usus est valetudine, diuque per intervalla eius recuperandae caussa abesse coactus est. Interea Finestresius cum Galterium emendatum et auctum cum institutionibus ipsis edere vellet, ab incaepto destitit, quod neque Vinnium e manibus auditorum extorquere posset aegre ferentium de eorum ingeniis et eruditione praeiudicari, neque reliqua exsequi posset. Solum igitur institutiones enchiridii forma, et paullo post iurisprudentiam ante-iustinianeam praelo commissit: de qua editione, quidque novi boni in ea adornanda praestiterit mox dicam. Primum vero liceat mihi flores aliquot optimi et doctissimi viri Gonserii sepulchro spargere, et eius memoriam iacentem excitare. Natus ille est Bergae haud ignobili ad Pirineos montes oppido. Adolescens e patria Barcinonem migravit ius civile et canonicum auditurus. Eodem tempore iuri dabat operam Finestresius, et inter ingenii acumine et assiduitate fere pares facile animorum quoque coniunctio arctissime coaluit. Uterque mature, fere simul cum ipsa academia, Cervariae sedem suam constituit, quantumque de iure civili Finestresius, tantum de Canonico meritus est Gonserius; erat enim et latine et graece doctus, et quod caput in huiusmodi studio est, antiquitatis et historiae ecclesiasticae apprime gnarus. Quare tradendae canonum prudentiae admotus statim est, et cum vir ille immortali memoria dignus Franciscus Queraltius e vivis excessit, quae de Gonserii elegantia ingenii erat existimatio, a senatu academico electus est, qui eum apud ipsum in funere laudaret. Quo quidem iudicio amplissimum senatus de Gonserio iudicium fecit. Decesserat enim Queraltius alienissimo reipublicae tempore, cum petitio generalis immineret, nemoque esset qui aut experientia, aeque posset tot petitorum meritis iustum pretium sta-

tuere, aut propter amorem quo eos complectebatur, aeque vellet; quare petitores omnem spem in eius aequitate et auctoritate repositam habebant: in benevolentia conquiescebant [1]. Laudatio magno cum plausu excepta fuit, ut testatur vitae Queraltii scriptor, et quod erudita et diserta, et quod vivam vitae virtutumque illius imaginem exprimeret. Senatus academici decreto typis eodem anno excussa est. De ea sic censet Finestresius litteris hispanicis ad Maiansium XII. iulii MDCCXXXXIIII. orationis stilus pictus est, floridus et pigmentis oblitus, quem usu et consuetudine quasi in naturam converterat; quam tamen luxuriam aetas ingravescens magnam partem depascebat, et senili quadam maturitate temperabat. Sic ille. Eodem anno MDCCXXV. in illa generali academiae instauratione primarius iuris

1 Praetermittenda non sunt praeclara ipsa verba quibus haec vitae scriptor enarrat: „Era ya llegado el tiempo de la oposicion general por vacancía de todas las cáte- „dras: afianzaban quantos antes leían en la universidad en el amparo y calificado „abono de Don Francisco todas sus medras; porque él solo, como mas expe- „rimentado tenia bien conocida la aplicacion de todos, y la sabiduría de cada uno: „por otra parte el grande amor y cariño que tenia á todos los que componian este „cuerpo literario aseguraba su valimiento, por ser tan alto y tan subido que no pa- „rece cabia amor semejante en otro pecho, que en el de un verdadero padre; ha- „biendole obligado á decir muchas veces, que por mas que se le dieran á escoger „catedráticos à medida de su gusto, no le parecia poder formar asamblea mas de „su complacencia y de su agrado, que la que habia merecido á la real eleccion „de S. M. Mostró bien ese entrañable cariño en uno de los postreros razonamientos „que hizo á su claustro poco antes de partirse á la villa de Santa Coloma; en que „como presagioso de ser aquella la ultima despedida... parece que acabó de destilar „su tierno corazon en afectos, animando sus voces de tan rara eloqüencia, y sus „expresiones de tanta suavidad y dulzura que excitó en muchos las lágrimas, y „en todos singularísima ternura." *Vida de D. Francisco Queralt cap. XI.* Et paullo post descriptum funus: „Fue 'ait' nombrado por el claustro para recitar la ora- „cion fúnebre el D. Miguel Gonser, dean de la iglesia de Gerona, y catedrá- „tico de prima de cánones, que con su elevada comprehension, eloqüencia de voces „y afectos desempeñó el acierto de la eleccion, manifestando lo docto, lo erudito, y lo „discreto de su ingenio, y eternizando en la memoria de todos la gloria del difunto „con el mas vivo, expresivo, y fiel retrato de toda su vida y singulares virtudes."

canonici antecessor electus fuit Gonserius, quem honoris gradum in civili non nisi toto fere decennio post consequutus est Finestresius. Quanti vero eius sapientia in pretio esset et apud academicum senatum et apud regios academiae curatores tum maxime apparuit cum Romam de rebus gravissimis legatus mittendus esset. Magno enim consensu ei legatio decreta est, quam diligentissime et non minore dexteritate quam prudentia obivit. Res omnes quamvis difficillimas explicuit et confecit; leges academicas summo pontifici probavit, probatas ut diplomate pontificio munirentur effecit. Eo annitente omnia ornamenta, quibus amplissimae academiae potiuntur, in cervariensem collata sunt. Nova etiam expressit. Nam et in collegiis canonicorum universae Cataloniae sacerdotium unum attributum est professoribus cervariensibus, quod deinceps per vices antiquiores obtarent, et pensio episcoporum censui imposita est, quam communi illi scientiarum penderent domicilio unde ecclesiae ministri peterentur idonei. Haec et alia licet explicatu difficillima non solum ut decernerentur perfecit, sed etiam ut in mores, reclamantibus licet compluribus, inducerentur. Romae vero in urbe et litteris, et libris, et litteratis viris abundanti non minus recte otium quam negotium collocavit. Nam ut quae passim fiunt omittam, litteratos viros salutare, bibliotecarum pluteos excutere, cimeliarchia et musaea invisere, et alia huiusmodi; exiguo legationis tempore tria millia et eo amplius selectorum maximam partem voluminum comparavit. Sed cum cetera omnia ex animi sui, et aliorum sententia successissent, illud incommode accidit, quod valetudinem suam et romano coelo, et non intermissis vigiliis et laboribus vehementer afflixit. Quare obita feliciter legatione, ingenti illa librorum vi stipatus Cervariam haud parum affecta valetudine remeavit. Vir igitur qui de re litteraria et academia tam praeclare meritus esset, non multis post annis eidem regendae praepositus praemium laborum suorum tulit amplissimum. Sed dum erecti erant omnium animi et sperabant fore ut sub litteratissimo gymnasiarcha res litteraria magis in dies enitesceret, expectationem omnem quae de eius sapientia et flagranti

iuvandi bonas litteras amore maxima erat, mors immatura destituit. Nam cum teterrima hypocondriaca affectione aliisque aegritudinibus laboraret Barcinonem primo profectus, inde ingravescente morbo Sarrianum vicinum urbi oppidum sella gestatoria delatus, si mitiori coelo corpus et aegrum animum recreare tantisper posset, accedente ad cetera mala hydrope magno sui desiderio relicto decessit anno MDCCXXXXIII. Reliquit dissertationem de iure asylorum summa cura multisque elaboratam vigiliis, eo consilio ut eam in publicum emitteret: et sane publica luce dignissima erat. Distentus ille quidem summi magistratus aliisque curis, praeterea infirma usus valetudine absolvere eam non potuit. Sed quod caput rei est id omne fere complectitur. Prima pars quae de asylis gentium, et secunda de asylis hebraeorum omnibus numeris absolutae sunt. Tertia de asylis christianorum multo latius patet. Hanc argumenti partem servato accurate temporum ordine ad sextum usque christianum saeculum pertexuit, et quamvis cetera desiderantur; tamen quae maxime ad rem pertinent, et quidquid operosius erat continet universa. Dissertatio valde eleganter, erudite summo cum iudicio conscripta est. Nulli pepercit auctor quantumvis improbo labori, ut quae tradit omnia ex ipsis fontibus et rerum et auctorum hauriret ipse per sese. Totum opus iustum in 4°. volumen facile conficiet. Hoc ferme est Finestresii iudicium. Fatetur tamen alibi auctorem dum relligiosissime ipsa tota scriptorum loca totidem verbis annumerat, non nihil molestiae lectori creare, et cursum orationis frangere: qui elegantis operis naevus, si huiusmodi dicendus est, in argumento quod totum prolatis tabulis et testibus transigendum est, eius faciem non tam foedat quam exornat. Curam hic editionis magno animo suscepit eo acrius quod auctor id opus urgente, et stimulos addente Finestresio et scribere et edere in animum induxerat. Ac primum egit cum Iosepho Clarisio Gonserii propinquo, ut tractatui praefaretur, et de vita et insignibus in litteras et academiam necessarii sui meritis narrationem texeret. AEgre id quidem, sed tandem extorsit. Meermannus tunc totus erat in adornando iuris civilis et

canonici locupletissimo thesauro. Actum est pro necessitudine, quae inter ipsum et Maiansium Finestresiumque intercedebat, ut in eo ederetur, eaque de causa ad eum codex diligenter descriptus Amstelodanum transmissus est. Nec tamen locum in thesauro invenit, quem cum dignitate, si Finestresium audimus, potius quam nonnulla quae edita sunt opera, tenere potuisset. Quid in causa fuerit haud scio: quid de toto opere senserit Meermannus satis aperuit in tomi VII. praefatione, cum obiter Michaëlem Gonserium memorans vocat eum academiae cervariensis gymnasiarcham virum doctissimum, „cuius tractatus de iure asylorum penes me ' ait ' est ineditus, sed „luce publica dignus." Ille tamen iacet etiam nunc in tenebris, nec quisquam editionis curam urgente quamvis Finestresio deinde suscepit. Gonserio peregre defuncto cenotaphium struxit et iusta publice persolvit academia. Petrus Ferrussola societatis Iesu theologiae professor eum eloquenter latine (sic Finestresius ad Maiansium scribit) in funere laudavit [1]. Amico mortuo aliud officium praestitit Finestresius et simul abstinentiae suae documentum. Illius heres bibliothecam proscribere cum vellet amici memoriae id dedit libentissime Finestresius, ut eum consilio et opera adiuvaret. Ille indicem confecit, pretium libris pro sua etiam huius rei singulari prudentia statuit, totique negotio distrahendorum librorum non interfuit modo sed praefuit. Facta eidem est potestas amplisima pro suis singularibus meritis volumina quaecumque vellet retinendi. Vir harum mercium cupidus sed innocentissimus, in tanta copia tres admodum libros sibi seposuit, magis ne despicatui habuisse prolixam heredis voluntatem, quam ut ex ea compendii aliquid facere voluisse videretur. Hi autem sunt Harmenopuli promptuarium iuris: Lindenbrogii codex

1 Oratio sic inscribitur: *Petri Ferrussola doctoris theologi societatis Iesu et primarii cervariensis professoris laus dicta in funere illustris D. D. Michaelis Gonser et Andreu utriusque iuris doctoris, sacrorum canonum ex-primario professoris emeriti, ilerdensis ecclesiae maioris archidiaconi, pontificiae ac regiae cervariensis academiae cancellarii &c. post. idus novembris anni* 1743. *Senatus consulto academico typis excussa. Cervariae excudebat Emmanuel Ibarra in* 4°.

legum antiquarum: et Leunclavii ius graeco-romanum. Praeterea libellus in quo inscriptiones et subscriptiones primi libri codicis iustinianaei emendantur. Cuius idcirco memini, quia verum eius auctorem, et alia quae ad eum attinent in litteris ad Maiansium detegit: verba scilicet tituli *Candido Adiniva Granan esio* auctore, interpretanda esse *Didaco Vidannia aragonensi* demonstrat. Hunc postea libellum, et veri auctoris notitiam missit Maiansius ad Eusebium Begerum qui in opere inscripto *corpus iuris civilis reconcinnatum in tres partes divisum &c. Francofurti* MDCCLXVII. totam rem hanc explicat, nec tamen quantum memini, non enim liber nunc in promptu est, Finestresio adiudicat. Post Gonserii mortem magnificum de Finestresio senatus academici consultum factum est, cum ab eo probante rege reipublicae litterariae gubernaculo, intereadum novus gymnasiarcha crearetur, admotus est. Atque hic homo minime omnium praeceps, et ad audendum proiectus in temporali honore et parum firma auctoritate, id solum negotii sibi dari existimavit, ut disciplinam academicam integram inviolatamque servaret, statas leges et instituta tueretur, omnia denique tranquilla, provinciam expeditam in manus traderet successori. Quod et egregie praestitit, adeo ut Emmanuel Alosius successor designatus, postquam Cervariae magistratum iniit, cum iterum abire cogeretur, eadem potestate, quamdiu abesset gymnasio praeesse voluerit. Atque ut semel hac vitae Finestresii parte defungar, nulla alia magnopere insignita re, id modo dicam, eum cum quater hoc eodem honore functus sit semper sapientia singulari, labore, vigiliis, facilitate, sine cuiusquam offensione, sine detrimento, eadem prudentia et animi moderatione rem litterariam administrasse.

Recenti adhuc vulnere ex morte amicissimi et familiarissimi viri Gonserii, cum cicatrix nondum obducta esset, acerbiore alio recruduit. Eodem enim fere tempore Danielem suavissimum et amantissimum fratrem extulit. Fuit omnium Finestresiorum fratrum natu minimus ingenio maximus, id quod Iosephus noster ultro prae se ferebat, quodque non semel ipse non sine tenera carissimi sibi

capitis recordatione commemorantem audivi. Hic, praecoci mente et veloci praeditus, decursis celeriter, magna non solum ingenii, sed etiam pietatis in Deum opinione, his studiis, quibus puerilis aetas impartiri solet, admodum adolescens, ac paene puer Praemonstratensium ordini nomen dedit. Annos natus non amplius xxv. quod incredibile videri potest, amplissimo monasterio sanctae Mariae bellipodiensis, tanta iam tum de eius sapientia, et religione erat existimatio, praefectus est. Post gestam ex sanctissimis ordinis institutis praefecturam, monasticamque disciplinam constitutam, Matritum negotiis monasterii procurandis ablegatus est. Erat inibi tum regi a bibliotheca Maiansius, qui Danielis suavissimis sanctissimisque moribus, et insigni eruditione delinitus, mirum in modum in eius amorem exarsit. Testantur id complures litterae, et ad ipsum Danielem, et ad Iosephum nostrum datae, plenissimae benevolentiae significatione. Domum reversus, abbas monasterii designatus, infirma quamvis valetudine usus, reliquam aetatem in litteris et pietate egit. Decessit Cervariae anno MDCCXXXXIIII. pridie nonas ianuarii, in complexu et sinu fratris, cum vix quadragessimum annum excessisset. Operae pretium est nosse, quid de eius morte ad Maiansium scribat Finestresius, quanta patientia gravissimos dolores, quam prompta ad Dei nutum voluntate, tulerit; prorsus ut sanctorum virorum mortem obierit, quae omnibus invidenda potius, quam luctu prosequenda visa sit. „Doctrina eius' inquit' et eruditio tanta erat, „ ut plane obstupescerem. Petrum Ferrussolam, virum gravem et inge- „ nui candoris, dicentem saepius audivi, neminem se vidisse illo doctio- „ rem, neque qui de rebus omnibus melius et eruditius dissereret." Haec et multa alia Finestresius, nec minora Maiansius, dignissima quidem lectu, si huius essent aut loci, aut argumenti. Dolendum vero, magnum aliquod opus perficere propter valetudinem non potuisse; nemo enim eo melius id, ex Iosephi sententia, facere potuisset. Pauca quaedam apud me sunt, et carmine et prosa eleganter scripta, ex quibus quid de eo sperandum esset, coniectura fieri potest. Reliquit tamen eruditionis suae ex asse heredem, praeter alios, Iacobum Ca-

resmarium, virum ex eodem ordine, rei diplomaticae, totius antiquitatis, ecclesiasticae praesertim medii aevi, rerum Cataloniae, et interiorum litterarum inter paucos eruditum, cuius eruditissima scripta, quod fatum nescio quod doctissimorum quorumcumque hispanorum virorum est, in bibliothecarum forulis inedita delitescunt.

Reverso Cervariam Alosio, Finestresius vicariam auctoritatem, quam non libenter susceperat, libentissime posuit. Atque ille quidem fausta omnia, ut scripsit ad Maiansium, ex novi gymnasiarchae gubernatione augurabatur; verum aves non addixerunt. Nunquam maioribus iactata est procellis academia. Sed haec viderint alii. Illud mirum est, et ad rem nostram pertinet, hominem natura lenissimum, ab omni coitione et partium studio alienissimum, summa dignitate, invitum in hunc turbarum aestum abripi potuisse. Res est cognitu dignissima, ut appareat, in tanta modestia et lenitate, quae fuerit ipsius excelsitas animi et magnitudo. Cum candidatum doctoris insignibus ornandum senatui commendaret, oratiunculam de more recitavit. Ut in argumento minime copioso et abundanti, oratorum iure usus, ex caussa in thesim delapsus, invectus est in eos, qui neque virtute, neque doctrina, sed pravis artibus in honores academicos invadunt. In tempore, suspicionibus, et molitionibus pleno, nihil tam caute et circumspecto iudicio dici potest, quod, interpretando et calumniando, in malam partem trahi non possit. Enim vero iuvenes aliquot turbulenti clamare; laedi dignitatem academiae, gymnasiarcham ipsum aperte peti, ulciscendam iniuriam. His clamoribus, et aliquorum molitionibus actus, et persuasus Alosius, Finestresium domo pedem efferre, et munus professoris exercere vetuit. Tulit indignissime homo mittissimus sibi factam iniuriam, nec sibi defuit. Excelso et alacri animo, primo orationem, summa fide descriptam, testimonio munitam septem et viginti clarissimorum ex omnibus ordinibus, et professorum, et doctorum, aegre ferentium, collegam optimum, academiae ornamentum tam indigne iactari, exhibuit. Deinde apud tabellionem publicum e sententia provocavit; provocationem in tabulas, servatis omnibus

sollemnibus iuris formulis, rite referri iubet. Rem omnem, gravissimis munitam testificationibus, ad regium senatum defert; curatorem et protectorem academiae Guellium de re tota certiorem facit; orationem mittit; non iam opem, sed ius suum repetit. Ad Maiansium, aliosque, exempla orationis mittit, qui quidem omni officio, quod ab amicissimo viro expectari poterat, pro Finestresio laboravit. Inter haec mirabantur omnes tranquillitatem animi sui, quam tot turbae ne minimum quidem impulerant. Tum vero quantum gratia, et existimatione apud omnes Finestresius valeret, manifeste apparuit. Primum omnium Guellius pro auctoritate sua egit cum Alosio, ut statim illum in pristinum honoris gradum omnino restitueret: honorificentissima de eo ab administris regiis facta litteris iudicia; studia omnium ad eum sublevandum erecta. Sed vir, retinendae dignitatis suae cupidissimus, his non omnino contentus, rem iure agi, et vindicari iniuriam suam volebat. Vix tandem complurium, Guellii praesertim, sollicitudine exoratus est, ne rem summo iure agi animum obstinaret, utque res omnis, auctoritate potius extra iudicii formulas, cum summo suo honore, transigeretur. In hanc conditionem ut descenderet, haud difficile fuit persuadere Alosio, qui, inito magistratu Cervaria proficiscens, procurationem eius Finestresio mandarat, et a quo alia in eundem erant ornamenta profecta. Quid si ipse Alosius praecepisset fore, ut in calamitate sua haec provincia Finestresio administranda a rege demandaretur, eamque ita gereret, ut nulla in re, pro sua animi aequitate, et de omnibus benemerendi, nullius laedendi perpetua voluntate, dignitatem illius, quantum in ipso esset, imminueret? Sed de hac re postea. Tum vero amplissimum tulit anteactae suae vitae fructum; omnino ut optandum illi esset, in has turbas incidere, non tam ut favor et opinio quae de eo erat magis constaret, quam ut enitescerent constantia singularis, et robur animi, quae virtutes minus expectabantur ab homine lenissimo minimeque acri. Restitutis vero rebus rediit ad se suosque mores, obliterata omni animi offensione, adeo ut non modo auctores iniuriae non laeserit, sed ne

inclementius quidem unquam appellarit [1].

Hactenus Finestresius edendis aliorum operibus industriam suam exercuerat. In horum tamen editione non id solum egit, ut exempla repeteret, sed multum in emendandis locupletandisque operibus ipsis laboravit. Ita superiori anno MDCCXXXXIIII. iurisprudentiam ante iustinianaeam, eadem enchiridii forma qua prius imperiales institutiones, in publicum emisit. Verba legum et fragmentorum typis describi curavit ex editione Antonii Schultingii. Leges regias a Iusto Lipsio studiose collectas, leges autem duodecim tabularum ex recensione Iacobi Gothofredi, quo nemo accuratius fragmenta collegit, et ea suis quaeque locis, tabulisque restituit, denuo adiecit. Schultingianae editionis adnotationes variorum auctorum, bonas illas quidem et eruditas, quoniam proposito non servientes, praetermisit. Petri Fabri eruditissimi iure consulti ad titulos Ulpiani descriptas a

1 Cupido, credo, lectorem incesset videndi orationem, quae tam vehementer aliquorum animos commovit. En illam, et una specimen illorum prooemiorum (cuiusmodi permulta ipsius extant) quae in cooptandis doctoribus de more dicuntur Prius tamen monitum eundem volo, hanc, quemadmodum et ceteras, extemporali facundia exaratam recitatamque ab eo fuisse. Sic igitur habet. = Dictum saepisime ex hoc loco, sed saepius repetendum, atque studentium animis ingerendum est (P. S. A.) doctores excellere oportere primum moribus, deinde facundia. Haec fuit impii Iuliani christianae religionis desertoris et hostis, sed christiano homine dignissima sententia; quam eleganter imitatus Iustinianus dixit, prius animas, postea linguas eruditas facere oportere: eandem expressit et divus Isidorus hispalensis, „unusquisque' inquiens' doctor, et bonae actionis, et bonae praedicationis habere „debet studium: nam alterum sine altero non facit perfectum; sed praecedat iustus „bene agere, ut sequenter possit bene docere“: idemque sanctus doctor veram asserit doctrinam, quam vivendi sequitur forma. Haec inquam sententia saepius scholasticorum auribus ingeminanda est; ut qui ad doctoralem honorem adspirant candidati, sciant, ad eum promerendum non sat esse ingenium adferre scientia excultum; sed vel maxime requiri, ut animum habeant virtutibus exornatum.

Inde ego vehementer gaudeo, et magnopere exsulto, quod hodierna die ad doctoralem iuris canonici gradum promoveam candidatum optime meritum Iosephum Minoves, in quo nemo geminas illas, quas dixi, doctoris dotes, morum scilicet probitatem, et doctrinae praestantiam vel requirere possit, vel non agnoscat. Immo mihi persuadeo, neminem in hoc gravissimo et sapientissimo senatu fuisse, qui

se ab autographo vulgavit. In his loca erant non pauca graecorum scriptorum: quae inopia typorum eiusdem linguae (nondum enim illos quantumvis dilligenter undique conquisitos comparare potuerat) cum graece non posset, latine edidit, a se accurate et eleganter conversa. In ora vero exempli quo ipse utebatur eadem loca graecis litteris descripta illevit, et deinde Meermanno graecis caracteribus imprimenda mandavit. Quid de his senserit Finestresius, et quemadmodum ad manus eius pervenerint, praestat ex ipsius eleganti praefatione cognoscere. Erant etiam penes illum eiusdem Fabri observationes in Pauli sententiarum libros, paullo tamen strigosiores nec eadem dilligentia scriptae, quas ipse ne libellus ultra Enchiridii formam excresceret, non vulgavit, eamque curam postea Meermanno, qui his angustiis editionis non circumscribebatur, delegavit. Tanta vero fuit in homine laudum suarum sive oblivio, sive despectio, ut neque in hoc libro neque in Altamirano, neque in aliis nomen suum in fronte extare pateretur; quamvis dilligen-

qui non oculis in eius fronte eas legeret, vel tacita cogitatione in eius animo non perspiceret. Adeo enim conspicuae sunt candidati nostri Iosephi praeclare illae doctorales dotes; ut etsi constanti apud omnes fama non innotuissent; vel ex solo recitantis habitu, adspectu, et modestia facile deprehendantur.

Hae sunt artes, quibus ad honorificentissimum doctoris titulum adspirare oportet candidatos, et doctissimorum censorum suffragia promereri; doctoralem enim dignitatem (dicam verbis Plauti)

Virtute ambire oportet, non favitoribus;
Sat habet favitorum semper qui recte facit.

Quo magis irascor, et succenseo iis, qui semilitterati cum sint, et ut cum Iuvenale loquar, nulla a vitiis virtute redempti, per technas, et sutelas, ad tam sanctissimum doctoris nomen non irrepere modo tentant, sed etiam grassantur. Longe abeant illi cum sua prava indole, et cum omni fingendi et simulandi arte, litterariae reipublicae strumae, et academiarum carcinomata. Abeant cum sua impudentia, et petulantia; dum tu amplissime, et venerande senatus academice, summo amore, et concordi benevolentia complecteris Iosephum Minoves, virum scilicet omni virtutum genere praestantem, et iuris utriusque scientia instructissimum, genuinum denique reipublicae litterariae partum, non degenerem, non abortivum. Dixi. =

tissimi et doctissimi editoris partes egregie sustinuerit, laudemque tulerit industriae singularis. Hac tamen amici relligione obstringi se non passus est Meermannus, quin in his recudendis operibus, prodito Finestresii nomine, quantum etiam hac in re iurisprudentia illi deberet, ostenderet. Instabant tamen amici et familiares, stimulos animumque illi addebat, atque adeo pro iure amicitiae obiurgabat Maiansius ut sua ederet, ille vero, quod aegre mihi persuasissem nisi in ipsius perlegissem litteris, ne probro esset suis scriptis academiae, cuius erat ornamentum, verebatur. Vix tandem illorum expostulationibus, et prope quotidiano convicio in animum induxit, non iam quae plurima praelo parata habebat, eidem committere, sed particulam aliquam eligere in qua experiretur quid homines docti sentirent, et ex eorum sententia de scriptis edendis suis statueret. Id vero ipsum quam non cupide, quam pedetentim? Selegit ille commentarium in *l. 5. d. de iustitia et iure*, quem Maiansio expendendum transmisit, testatus se multo libentius auditurum, siquidem non nisi mediocris sit, indignum esse qui edatur, quam bonum esse praelumque subire posse; cum non nisi invitus, et aegerrime ad aliquid edendum descenderit. Operae pretium est legere litteras de tota hac re ad Maiansium scriptas, in quibus enixe ab eo flagitat, ut opellam illam emendet, siquidem, ait, eiusmodi est quae emendari possit: sperare se ubi primum illam legerit, mutata sententia intellecturum, quanto minus in re ipsa sit quam ille reputarit: nihil ipsi gratius facere posse, quam si existimet omnino non edendam, sic enim secum ipso illum sensurum. Rogat, ut id quod dicit, modestiae tribuendum ne existimet, sed quod se suo modulo metiri sciat, et internoscat quanto opera sua a doctissimorum scriptorum operibus distent intervallo: rogat ut severam et immitem in ea censuram exerceat; utque mutet, addat, detrahat arbitratu suo, obtestatur. Multa in eandem fere sententiam subiecit, quae commemorarem nisi vererer, quibus minus perspecta est eius modestia ne non ex animi sententia dici ista viderentur. Accepit Maiansius hunc primum commentarium librum et

alterum ad *l. 2. de statu hominum* : legit accuratissime, emendavit. Quid vero de illis iudicarit non tam ex latinis litteris quae Finestresii Hermogeniano praemittuntur, quam ex ineditis hispanicis familiarissime scriptis, et non eo consilio ut in notitiam hominum pervenirent, cognosci potest. Quam vero libere et candide animi sensa ultro citroque litteris exponerent ambo, et quanta iis habenda sit fides argumento etiam est; quod indiculum animadversionum emendationumque continent, quas omnes et probat Finestresius et de iis gratias agit amplissimas. Post syllabum de quo antea, subiungit Maiansius: scripta tua adeo sunt numeris omnibus absoluta, ut non nisi levissima sphalmata et paroramata, vel a librarii manu profecta vel a te ipso inter edendum facile tollenda deprehenderim. Quae vero laudanda et praedicanda multa sunt; sed in primis probatur mihi sententiarum delectus, in quibus omnibus, si quod ad stipulationem attinet excipias, tecum ipse sentio. Accepto vero altero *de statu hominum* commentario, inter alia: quantum, inquit, ego iudicare possum, secluso omni affectu sancte affirmare possum vix quicquam tuis commentariis fieri posse perfectius. Legi et perlegi optimos quosque interpretes iuris, qui a ccc. annis floruerunt; vix duos, summum tres invenio, qui pensatis omnibus, perfecti interpretis partes aeque sustinuerint, quibus tamen in multis rebus antecedis. Mirabuntur lectores in te eruditionis et sacrae et profanae copiam. Mihi vero probatur inprimis iudicii maturitas in scribendo, veritatis amor qui in omnibus disputationibus elucescit, sermo perspicuus, in sententiis enucleandis diligentia, candor in proponendis. Quid igitur restat nisi ut quamprimum manum operi edendo admoveas? Noli te ipsum calumniari donec perfectio et absolutio commentario accedat. Cogita illud, manum de tabula, et editionem ocyus adorna. Haec ille tanquam testis, sacramento rogatus, amicus ad amicum, laudatus vir ad laudatum sine fuco et fallaciis. Quas vero laudes in epistola quae in Hermogeniano edita est in eum effuderit, ex ipsa liquet. Quam aegre animum induxerit ut has ederet litteras, id vero ibi non liquet.

Et sane mirum alicui videri poterit quid sit, quod vir de cuius modestia praedicavimus, laudes suas praesertim tot, tantas, tamque effusas ipse in publicum emiserit. Is vero mirari desinet, cum sciat id ab ipso invito, et reluctante Maiansium pro iure amicitiae, atque adeo pro imperio exegisse. Ius illi omne in refingenda quantum vellet epistola illi concessit, vetuit vero distincte ne quid de laudibus suis ex ea detereret. Habeo ante oculos epistolam editam manu ipsius Maiansii exaratam, in qua Finestresius paucula quaedam ad eruditionem pertinentia aut addidit aut explicatius declaravit, itaque leguntur edita ut ab eo sunt emendata reliqua quasi sacramento adactus non attigit. Nec vero praeteribo quid in Hermogeniano Maiansius minus probarit, ut inde magis appareat quam vere cetera, sincereque laudentur. Maluisset enim ut Finestresius, parcius auctores, et non nisi primae, ut aiunt, classis appellasset: quod cum ipse in Altamirani Scaevola vehementer probasset, ipse tamen in Hermogeniano sequutus omnino non est. Non ita tamen ut, non dicam proletarios, sed ne quidem ultimarum classium auctores hoc honore dignetur. Sed nimirum vir eruditissimus, et in iurisprudentiae scriptoribus, si quisquam alius, versatus, quod et agnoscit Maiansius, si quid recte imo rectius, ut saepe fit, positum esset ab iis qui secundae, aut etiam tertiae classis sunt, de eo rationem habendam esse existimavit. Prudentius fortasse fecerit Maiansius, qui bonas horas non nisi in eminentissimis interpretibus volutandis collocare voluerit. Nec male Finestresius qui non aurum ex stercore, ut ille olim, sed inter metalla minus pretiosa, collegerit. Quidquid huius sit, cum de Hermogeniano typis batavicis edendo cum Meermanno, qui hanc curam ultro susceperat, ageretur, homo minime pugnax et rerum suarum amator, tollendi quae vellet, et sublucandi, ut ita dicam, operis potestatem illi fecit amplissimam. Sed de integro Hermogeniano alias. Tunc enim, ut quid de reliquis sperare posset persentisceret, exercitationes tantum academicas in *l. ex hoc iure. d. de iustitia et iure*; et in *l. cum igitur d. de statu hominum* ex libro epistolarum I.

Hermogeniani iuris consulti prodire passus est. Dissertationem modo de Hermogeniano eiusque scriptis diligentissime scriptam adiecit.

Vota et expectationem auctoris editi huius speciminis successus superavit; magno cum plausu non solum a nostratibus, sed etiam ab exteris exceptum est, et eximiis laudibus celebratum. Quae res animum illi addidit non solum ad reliqua Hermogeniani sui, sed etiam ad alia quae poene perfecta habebat, absolvenda, lucique publicae donanda. Sed animum illius his rebus penitus intentum tempora academiae ab his cogitationibus ad alias longe curas et sollicitudines avocarunt. Nam dum in eo erat ut scripta sua librariis describenda traderet, propter novas academiae turbas, relegato Alosio, Finestresius a rege progymnasiarcha turbulentissimis illis gymnasii temporibus designatus est. Erant duae in academia factiones, quarum altera antesignanum habebat cervariensem praetorem contra gymnasiarcham; altera vero cum neutro inimicitias exercens academiae bonum et dignitatem unice spectabat. Praetor cognatione Guellio coniunctus in spem factiosos aliquot adduxerat novos honores academicos huius favore adipiscendi. Haec spes odium adversus societatis Iesu homines quorum duobus ab hinc annis Alosius consuetudine utebatur, et insana partium studia::: utor ipsius Finestresii verbis [1], animos factiosorum hominum in gymnasiarcham inflammaverant. Hi primum Guellii favore confisi, ne iusta quae con-

1 Haec sunt Finestresii verba: Está la universidad dividida en dos facciones; una que tiene por caudillo el corregidor de esta ciudad contra el cancelario; otra que no siendo contra el cancelario, tiene la mira al bien, y al honor de la universidad. Los motivos de unirse al corregidor varios academicos son la esperanza de ascensos y conveniencias fundada en el favor que éste les promete, como á primo del señor Guell; el odio contra iesuitas, á quienes trataba el cancelario de dos años á esta parte; y la loca pasion::: Este partido apoyado del señor Guell, procuró impedir el hacer y publicar las demonstraciones por las exequias de su fundador, y las fiestas por la exaltacion al trono de Don Fernando, pero no lo pudo lograr por las vivas diligencias del cancelario. Omitto reliqua: haec vero ab homine nulli addicto parti candide litteris ad Maiansium expressa excripsi, ut erubescant et desinant tandem sectae scholasticae sese odiis conviciisque lacerare.

ditori Philippo mortuo, festique dies, quos ob initum regnum, successori Ferdinando senatus decreverat, peragerentur, aut peracta publici iuris fierent contendebant. Sed frustra, nam probante et iubente rege, annitente vero Alosio omnia peracta sunt, in scripta relata et typis excusa. Missa duorum professorum ad regem legatione, eidem exhibita sunt: quo factum est ut Guellius curationem academiae (protectorem vocant) abdicare coactus fuerit. Adhuc omnia secunda Alosio usuvenerant: illud vero eum transversum egit, quod caussam auditoris cuiusdam, quem in vincula tanquam seditiosum, et supplementa militum impedientem coniecerat praetor, ipse, neque tamen iniuria, ut postea apparuit, nimis acriter ex legibus et privilegiis academicis defendendam susceperat. Nam cum regis imperio, quo reum praetori in manus tradere iubebatur, statim non obtemperasset, quod hunc ad senatum regium provocasse diceret, quantumvis se ad omnem nutum regis paratum obtestaretur, inimicorum suorum artibus effectum est, ut improviso indicta caussa in exilium mitteretur. Interea homo ab omni partium studio alienissimus, in medios tantorum motuum aestus abreptus est, quibus sedandis, et academiae in tranquillo collocandae omnem posuit sollicitudinem. Id vero eo erat impeditius, quod non satis exploratum erat quid potestatis quid iuris, sibi in ea demandanda procuratione a rege concessum esset. Tanta vero cura in tanta rerum perturbatione sedandae tempestati incubuit, ut non solum musis valedicere coactus fuerit, sed et valetudinem graviter afflixerit. Nam et stomachi cruditate, vir temperans parcique cibi, et ex hac sequuto capitis dolore; pertinaci item oculorum fluxione et brachii inflammatione laboravit. Atque tunc quidem singulare ingentis animi, et ad omnes casus parati dedit documentum; nam cum chirurgus tumorem quemdam brachii secaret ferro et excinderet, miratus ad eam carnificinam nihil eum commoveri: quidni, inquit, ad acerbissimum dolorem saltem ingemiscis? ille vero eodem quo semper vultu; numquid, ait, muliebri eiulatu efficiam ut minus doleam? Atque ita totum illum aerumnosissimae chirurgicae

sectionis cruciatum sine ulla doloris significatione pertulit. In tantis tamen incommodis permagnum id extitit commodum, quod vigiliis suis assecutus est, ut academiam in meliorem statum restitueret, quod pro pietate sua Deo, et Beatissimae Virgini acceptum referebat. Cognita Alosii innocentia et ad regis obsequia prompta voluntate, hic paucis post mensibus eodem anno ab exilio revocatus est. Ita onus istud, quod ipsi aethna gravius videbatur, libentissime deposuit, et hanc provinciam Alosio tradidit expeditiorem.

Ex hoc difficili et scopuloso loco tandem eluctatus et molesta procuratione liberatus Finestresius, confirmata paulisper valetudine, coepit de edendis praelectionibus suis denuo cogitare. Ac primum actum est de editione amstelodamensi, cuius curam clarissimus Meermannus in se receperat. Erat tunc ille intentus adornando amplissimo novoque thesauro iuris tum civilis tum canonici, locumque dare in eodem praelectionibus, pro ea quam de auctore habebat praeclara opinione, pollicebatur. Immo de hac ipsa re ad Finestresium scripsit impense obsecrans, ut ea quanto citius ad se edenda mittat. Ac primo quidem ita se facturum pollicitus est. Deinde vero partim librariorum inopia, qui formas litterarum praesertim graecarum satis dilucide pingerent, partim itineris periculis et longinquitate deterritus accurare praesens ipse editionem Cervariae decrevit. Non nesciebat ille quidem quantum ad splendorem scriptorum suorum perennitatemque valere posset editio illa in tam splendido summorum iure consultorum comitatu; simul vero illud animadvertebat ita studiosae nostratis legum iuventutis manibus, ad quam maxime studia eius spectabant, vix ac ne vix quidem posse versari. Tunc vero academia palam ostendit quantum huic cervariensi typis academicis editioni faveret. Auctori enim praeter cetera de gymnasii typographia optime merito, cuius fere semper curator extiterat (totum enim hoc artificium apprime callebat) omnes sumptus et impensas praeter operarum mercedes omnino condonavit. Ipse vero cum academia certare quodammodo voluit. Nullum enim ex hac tam prolixa benignitate compendium quaesivit, sed deductis summa relligione

rationibus, quanti unumquodqne volumen ipsi steterat, tantidem emptoribus prostare voluit. Quin immo damnum fecit pecuniae multorum voluminum quae dono dedit, et aliorum quae tradita bibliopolis cum fuissent parum fideli eorum opera usus est. Accessit praeterea ad commodum et nitorem editionis, quod typi recens conflati erant, et typographium formis elementorum graecorum ipsius cura locupletatum. Ipsius enim diligentiae praecipue debet academia quod caracteribus non solum graecis, sed etiam hebraicis abundaret. Quin etiam cum totius artis typographicae, et instrumenti peritissimus esset, et de typothetae industria diffideret, ipse formas elementorum graecorum, rem, propter earum multiplicem varietatem, impeditissimam, aptissime in forulos tribuit et ordinavit. Cum vero rem hanc maxime ageret, et poene ad exitum perduxisset, typosque locorum quorundam graecorum ad tractatus suos pertinentium coagmentasset, ecce ruina tabulae cuiusdam formae litterarum, quas improbo aliquot mensium labore digesserat, momento temporis disiectae, permixtae, confusae sunt. Quo casu adeo non excanduit aut perturbatus est, ut illico cytharam arripuerit, et tranquillo animo et sereno vultu pulsare occoeperit: tanta in eo erat contra omnes fortunae impetus fortitudo atque constantia. Edidit igitur ante omnia praelectiones illas, quas ex more et instituto academico primo quadriennio primarius legum antecessor excipientibus auditoribus suis dictaverat. Sunt autem commentarii academici ad titulum pandectarum *de liberis et posthumis*, cum diatriba *de posthumis heredibus instituendis, vel exheredandis*: commentarii item ad titulum *de adquirenda vel omitenda hereditate*. Atque haec quidem uno eodemque volumine continentur: alterum vero praelectiones sive commentarios ad titulos pandectarum *de inoficioso testamento*, *ac de vulgari et pupillari substitutione* complectitur. Quae sane tota tractatio maximam, et vel praecipuam partem continet gravissimi elegantissimique de ultimis voluntatibus argumenti. In his vero commentariis dubium est, potius ne singularem ipsius doctrinam et eruditionem, an incredibilem modestiam admiremur. Cum

enim viri iuris consultissimi, illos summo expeterent opere editosque multi ex Gallia, Batavia, Germania, Italia extollerent laudibus, ipse aegerrime iam senex exire in publicum passus est. Cumque verissime dictum sit a laudatissimo viro Dovio; in his commentariis, in quibus sane reconditiora iuris praecepta continentur, ita occupata esse omnia, ita ad vivum resecata, et ad tenue elimatas quaestiones singulas, ut qui de eadem re debent scribere (debent autem primarii antecessores primo statim quadriennio) quid addant profecto nesciant: quid contra de eisdem Finestresius? „Vos ' ait ' alloquor adolescentes iurisprudentiae studiosi in quorum „gratiam dictata isthaec academica elucubravi." Alibi: „non enim' in„quit' ea animi confidentia unquam fui, ut crederem me iustitiae „sacerdotes erudire posse, sed camillos, ut ita dicam instruere, pri„mosque eorum gressus formare, quibus templi vestibulum ingredi „sine prolapsione possent." Neque haec semel et dicis causa, sed saepe inculcat; haec eadem in litteris suis ad familiares iterat, haec ab ipsius ore sexcenties accepi. Quam vero diversa fuerit doctissimorum hominum de illis opinio tunc maxime apparebit, cum in recensione operum testes viros primarios de eorumdem dignitate producemus. Atque ut propius ad praelectiones accedamus, sermo in eis est brevis, qualis ex Horatii sententia praecipientem decet, sed tamen apertus, subtilis, et quod ipse agnoscit paullo inamaenior, castae vero latinitatis, quamquam diffiteri non possumus excidisse illi pauca quaedam sine idoneo latinitatis auctore, vel potius ea non refugisse, quod eis excipientium aures solitae essent personare; maluitque vir prudens intelligi, quam latini undequaque scriptoris laudem reportare. Interiorum litterarum et philologiae eruditionem neque affectat, neque non oportune ita adhibet, ut appareat eam non e rivulis, sed ex uberrimo fonte manare. Prudentia vero legum tanta in his existit, ut rem de qua agit exhaurire videatur; subtilissimas difficultates, et quaestiones summa evolvit perspicuitate; summorum interpretum sententias et opiniones per omnes partes versat et pensitat, magno cum iudicio eligit, aut

novam ipse proponit et firmat, quin unquam tamen novitatis, sed veritatis dumtaxat amore, rapi se sinat. Falcem criticam in legum textus non facile nisi cum necesse est, immittit, et ab emendandis refingendisque pervulgatis lectionibus, ubi commodum satis sensum ab iis potest exculpere prorsus abstinet, nec laureolam ex hoc mustaceo quaerit, ut exteri plerumque solent, qui ut ipsi in hoc genere sibi indulgent, sic nostri nimis ab eodem abhorrent. Via praeterea et ratione rem omnem tradit, quae scientiarum maxime est propria, ut priora iis quae consequuntur viam aperiant, facemque praeferant. Quanta vero huius operis exspectatio esset declarat quod Hondtius Cel. batavus bibliopola centum sibi exempla comparavit et mittenda curavit.

Vix editis praelectionibus suis novo honore ab academico senatu decoratus est, cum eius honorificentissimo decreto vacatione academicae militiae, cum omni stipendio ceterisque commodis iuribusque quibus ipsi antecessores perfruuntur, donatus est. Quamquam non tantum docendi ex superiori loco vacatione usum fuisse, quam id ipsum per alios effecisse videri possit. Quotquot enim tunc cum antecessor emeritus renuntiatus est sive canonici, sive civilis iuris professores exceptis duobus in academia cervariensi florebant, ipsius fuerant discipuli et auditores, praeterea complures qui suae iam professionis munere defuncti erant; et quinquaginta et eo amplius florentissimi iuvenes iuris doctores, qui ad petitionem honorum, et munerum ex universa provincia convenerant, ut vere Iovenius in censura operis praedicarit, Finestresium quasi iurisprudentiae in atheneo nostro conditorem, statorem, amplificatorem ad unum omnes venerari. Nec vero vacationem muneris sui idcirco adamavit, ut solutus cura erudiendi ex superiori loco iuventutem otio marcesceret, sed ut eandem ex aequo scriptis, consilio, omni denique ope iuvaret. Sumpsit igitur denuo in manus tractatum *de iure dotium*, quem viginti quinque antea annis inchoatum, et magna ex parte confectum tandem absolvere et edere constituit. Rem totam in v. libros partitus est: ita tamen ut ex praescripto

academico, per quod intra certos pandectarum fines tractatus antecessoris concluduntur, quae dirempto matrimonio iura dotem sequantur, non attingat. His igitur accurate more suo, de natura dotium, de personis quae dotem constituunt, et ex eis orta dotis varietate, de modo dotis non solum ex romanorum et hispanorum legibus, sed et aliarum gentium moribus disputat. De iure mariti et uxoris in rebus dotalibus, istiusque iuris effectibus pro diversa harum rerum conditione et natura. Atque hactenus confecta multo ante iam erant omnia; ne quid vero tractatui deesset, tum demum tractationem de iure singulari sive privilegiis dotium adiecit, in qua rem doctorum arbitrio nimis quantum exaggeratam ita moderatus est, ut certa dumtaxat seligeret. In toto vero opere sive argumenti amaenitate delectatus, sive quod in ipso aetatis vigore, et quasi flore in id commentatus est, stilo et oratione usus amaeniore occasionem libenter amplectitur atque adeo aucupatur rem de qua agit locis scriptorum graecorum et latinorum opportune adhibitis, et aptis, ornandi, et ut ita dicam exhilarandi. Ita tamen eruditi viri personam interdum induit, ut iurisprudentissimi primas esse partes non obliviscatur, neque committit, quod faciunt complures, ut philologiam potius quam legum prudentiam ostentet. Severior tamen et paullo adstrictior, atque ut ita dicam maturior, ut aetate sic etiam tractatione in praelectionibus apparet. Neque vero ultima fuit auctoris nec infructuosior cura pro legum academicarum instituto, proque sua in omne iuris genus singulari facultate ius romanum cum iure canonico, et nostrate conferre; ne qui e schola in forum tanquam e palestra in aciem prodeunt, se in alium terrarum orbem delatos existiment; neve iis accideret quod de romanis adolescentulis ait Petronius scilicet in scholis stultissimos eos fieri, quia nihil ex iis quae in usu habentur, aut audiunt, aut vident. Atque quas adhuc recensuimus lucubrationes multiiuga quidem et non vulgari, sed recondita et exquisita doctrina iuris abundant, sed tamen in singularibus totae versantur argumentis; in Hermogeniano vero suo per omnes late

patentes iurisprudentiae campos libere et pleno gradu non solum excurrit, sed tanquam in sede et possessione sua habitat, in qua copias suas et divitias omnes plena manu profundat. Ex hoc enim opere qualis quantusque iurisconsultus Finestresius fuerit, censeri maxime debet; nec recusabit ille, ut quantum de his commentariis, tantum de ingenii, doctrinaeque suae existimatione decedat. Interpretationem hanc vel ab ultimis temporibus cum antecessoris munus auspicatus est meditari coepit, et intermissam saepius, variis interpellatus occupationum molibus nunquam e manibus omnino dimisit. Partim igitur subsesivis horis extra scholae ordinem commentando, partim dictatis academicis, calcar addente Maiansio, amicisque ceteris, ad perfectionem et absolutionem perduxit. Quin etiam enixis precibus saepe numero efflagitante Meermanno pollicito locum se ei commentario in suo iuris thesauro daturum, describi a librario iussit, atque ita descriptum emendatumque Amstelodamum transmissit. Sed inter describendi moras; litterarum ultro citroque commeantium expectationem et longinquae navigationis tarditatem elapsa edendi opportunitate, tum demum ad Meermanni manus pervenit, cum iam thesauri editio metas attingebat. Accedit quod opus adeo spissum, quodque ipsum per se grande volumen conficeret, minus aptum eiusmodi collectionibus videbatur. Quare omni editionis batavae, etiam seorsum a thesauro, annitente quamvis Meermanno, spe depulsus, ad cervariensem typographiam, optima proposita conditione animum conuertit: quod exsequutus est anno demum MDCCLVII. Sed priusquam de operis praestantia explicatius dicam, libet Iosephi Molinerii doctissimi viri et successoris sui iudicium censuramque praemittere. Nec alienum erit a proposito par istud egregium iurisconsultorum qui duo fuerunt cervariensis academiae lumina, paucis inter se componere, ut exinde manifestius appareat quanta sit laus Finestresii laudari a rivali laudum suarum laudatissimo viro. Ac primum quis quantusque vir in elegantioris iurisprudentiae studio fuerit Molinerius norunt, quotquot his temporibus gymnasium cervariense celebrarunt. Enim

vero ille inprimis dignus inventus est qui Finestresio succederet. Tali tantoque viro cum successisset ita locum tenuit, ut nec sedes ipsa ab alio occupatam se esse , ut ita dicam, senserit. In pari tamen utriusque facultate nonnulla fuit studiorum et naturae dissimilitudo. Molinerius in legum studio, in textu ipso quem dicunt volutando fere omnem operam collocabat. Finestresius non exiguam etiam interpretibus commodabat. Ille legum sensa meditando, et ex legibus ipsis extundere conabatur; hic non hanc quidem optimam interpretandi viam negligebat , sed et quid alii sensissent expendendum sibi existimabat : hic enim pro sua animi moderatione plus aliquanto interpretum auctoritati tribuebat, quam ille supercilio quodam et conscientia virium suarum non tantopere curabat. In stilo autem mira diversitas; Molinerius, quantum ex paucis quae edita sunt coniectura fieri potest, et antiquarius est, verba et formulas a communi sermone remotas, obsoletas veneratur, eius vero oratio contorta et salebrosa, vim tamen habet, lectorem vigilantem requirit, et quosdam quasi aculeos in eius animo relinquit: huius stilus profluens, fusus, facilis, a verbis bonis illis sed de medio sumptis non abhorrens : voces ille retrusas anxie undecumque rimatur; huic verba ipsa in acumen stili subire sponte sua videntur. In pari etiam probitate et integritate morum, pari etiam pietate et relligione in Deum resque divinas, diversa tamen natura; Finestresius enim mira consuetudinis suavitate animos hominum iuvenum praesertim pelliciebat, multis amicitia , omnibus ad eum aditus patebat. Molinerius vero solitudinis amans etiam cum reficere animum deambulando vellet , non quod morosus aut parum esset urbanus , sed qui accessu non facilis , minus aliorum consuetudine uteretur. Et sane fatendum, non tantum ab eo litteras et iuris scientiam percepisse fructum, quantus a singulari eius doctrina exspectari poterat, quantusque a Finestresii humanitate, in omnes ingenuas artes redundavit. Uterque ab edendis scriptis suis abhorruit. Finestresius propter modestiam, quod illa luce publica digna non arbitraretur; Molinerius altitudine quadam animi sibi

canere et musis contentus minus erat de opinione hominum famaque sollicitus. Modestiam illius et pudorem expugnavit desiderium iuvandi ceteros, et consilia precesque amicorum : quae quidem minus valebant apud hunc, qui omnes quidem admiratores haberet ingenii et doctrinae suae, familiares non multos, ex cuius autem consilio pendere et se regi pateretur fortasse neminem. Inde scripta sua quamvis luce dignissima, iacent in tenebris. Hac quoque in re Finestresio dissimilis, quod honesta missione donatus, cum non modo consiliis suis, sed etiam specie ipsa academiae dignitatem sustinere potuisset, ab ea discessit, reliquamque vitam in ignobili oppido agri tarraconensis exegit ; ille in statione permansit. Rumor etiam percrebuerat, nonnihil ipsum obtrectasse Finestresii laudibus, non invidia, quae in illam gravitatem et constantiam non cadebat, sed ut de contentione, quae ei cum Hortensio fuit, ait Tullius, cum uterque in eodem cursu laudis versaretur, alter alteri aemulatione quadam virtutis currenti stimulos addebat [1]. Hic igi-

1 Qui plura de Molinerio velit legat orationem gravem et disertam quae inscribitur. *Oratio ad academicos cervarienses in magisterii vacatione danda Cl. iurisconsulto D. Iosepho Molinerio iuris civilis doctori, et primario regio professori, habita a Francisco Xaverio Dorca iuris civilis doctore et imperialium institutionum regio pro-professore in maiori academiae theatro kalendis quintilibus anni* 1771. *Cervariae Lacetanorum typis academicis. In fol.* Fuit autem Dorca magno praeceptore non minor auditor, qui post iurisprudentiam et humaniores litteras summa cum laude in academia traditas, nunc Gerundae illustrandis ultimi et medii aevi antiquitatibus ecclesiasticis cum ingenti criticae artis et eruditionis apparatu versatur. Is igitur cum ab eo quaererem de ineditis magistri scriptis, a quo ipse propter singularem doctrinae et ingenii vim inprimis diligebatur, parum optatum mihi virisque litterarum amantibus responsum dedit: scripta scilicet pleraque esse ex eorum numero quae praelegi excipientibus solent, nec ea tamen prorsus absoluta et perfecta. Exploratum sibi esse non ultimam imposuisse manum tractatui quem accuratius lucubravit, ut ederet, quemadmodum et Iosephus Finestresius, et alii academiae iurisconsulti sibi persuaserant. Fuit autem, ait, hic tractatus quem ego publice patrono insigni illo primario antecessore propugnavi anno MDCCLVIII: *Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.* Descripseram ipse magnam partem viginti circiter quaternionibus in fol. Reliqua nondum ad tenue elimaverat, et iace-

bant

tur talis tantusque vir tantae gravitatis ac pene supercilii de Finestresio loquens : „Huius ' inquit ' primam Hermogeniani sui „vix iurisprudentiae mystae videre lucem , cum statim ut totum „sibi aspicere, seu potius suspicere liceret flagrantibus votis poposce„runt ::: Gratulabantur tum vero iurisconsultorum reipublicae, quod „ad themidis penetralia , qui eius oracula panderet novus iste ne„mini postponendus accessisset sacerdos." Eadem commentaria sententiarum cum elegantia , auctoritatis cum ratione , subtilitatis cum nervo , omnis denique eruditionis cum doctrina copulandae exemplar , quod sibi provectiores proponant apellat. Nec minorem tribuit ille laudem praelectionibus eiusdem academicis ; quae omnia legi poterunt in censura Molinerii quae illis praelectionibus praemittitur. Quid autem de Hermogeniani commentariis senserit Maiansius, quam effusis eos laudibus ornarit, liquido apparet ex ipsius litteris Hermogeniano praemissis : quam vere et ex animi sententia, id vero multo etiam manifestius ex Maiansii litteris hispanicis , in quibus non solum pro imperio vetat quidquam de laudibus ex hisce detrahi ; sed etiam sancte testatur , tribuisse id modestiae finestresia-

bant in adversariis. Maioris operae opus aggressus est , quod ipsi munus academia, credo , ipsa detulerat , ad erudiendam nova via et ratione in imperialibus institutionibus iuventutem. In eo ex Vinnii commentariis ea quae ad primam institutionem pertinebant , adhibito in omnibus iudicio suo excerpserat ; additis pluribus, praesertim , quae ad ius patrium spectarent. Huiusce operis maximam iam partem confecerat : ei quoque manus ultima et absolutio defuit. Qua de re cum secum agerem et quasi expostularem , solum illud Ovidii usurpavit :

In steriles campos nolunt iuga ferre iuvenci.

Haec fere Dorca litteris hispanicis. Dolendum sane commentaria in institutiones non eum absolvisse ; quod opus Finestresius , Maiansius , aliique doctissimi iuris consulti summis votis expetiverant ; qui Vinnium egregium illum quidem interpretem , sed primae institutioni parum idoneum existimabant. In quo felicior fuit academia valentina quae Vinnium habet studiis iuventutis addito provinciali Valentiae et communi hispano accommodatum. Prodiit secunda operis editio sic scripta : *Institutiones romano-hispanae ad usum tironum hispanorum ordinatae. Opera Ioannis Sala praepositi valentini. Valentiae ex officina fratrum de Orga. Anno* 1795. *in* 4°. *vol.* 2.

nae, ut minus etiam diceret quam ipse sentiret. Meermannus vero, et saepe alias, et in praefatione vol. VII. thesauri iuris civilis et canonici, cum etiam tum inediti essent egregie praedicat et commendat. „Hi vero commentarii' inquit' quinque tomis forma quarta „conscripti, sed qui impressi ad duos facile redigi possent, tanta „eruditione eaque minime vulgari conscripti sunt, ut omnium eru„ditorum, quibus eos inspiciendi copiam dedi, et suffragium et ad„mirationem meruerint. Operam itaque navaturus sum ut quantocius „praelo committantur." Postquam vero in publicum emissi sunt non typis batavis, ut contenderat Meermannus, sed academicis cervariensibus, ostendit idem quanti Finestresii Hermogenianum faceret cum centum sibi totius operis exemplaria parata pecunia transmittenda curavit. Nec minori in pretio habitus ille est a Hieronimo Lagomarsinio. Vir iste eruditissimus; non ille quidem ex academiae spatiis iure consultus, sed in universa antiquitate romana cum paucis, in Ciceronis vero operibus supra omnes eruditus, adeoque romani iuris omnisque elegantiae iudex idoneus: „Est' inquit' „(adnot. ad Pogiani ep. LXVII. vol. I.) inter selectiores biblio„thecae meae libros Iosephi Finestresii ::: In Hermogeniani iuris „epitomarum commentarius::: mihi muneri ab auctore clarissimo mis„sus; cuius praestantissimi operis, cum vix ullum praeter meum „pervenisse in Italiam exemplum existimem, cumque specimen eius „aliquod italis hominibus praebere decrerim, ex quo hispanicae „quoque nationi, sive ingenii acumen, sive doctrinae instrumen„tum, sive eruditionis apparatum, sive latini sermonis castitatem „elegantiamque spectarimus, suos esse Cuiacios intelligi possit, Fine„stresii in illam ipsam quam modo recitavi Hermogeniani epito„mam disputationem describam." Mox bene longum illius commentarium exscribit. Nec minorem eidem commentario laudem litteris idibus sext. Romae scriptis impartit. Nec vero scriptis modo suis, sed et alienorum editione procuranda de iurisprudentia, et de patria benemeritus est. Nam rogante Meermanno censuram ei misit hispanorum iureconsultorum qui aliquid post editam Nicolai

Antonii bibliothecam, typis mandarunt. Quam ille censuram in prospectu thesauri sui retulit, et quasi impugnare visus est, tacito tamen Finestresii nomine, qui doluit ea in publicum emissa, quae parum essent nostris scriptoribus honorifica, a quorum in universum reprehensione valde semper abhorruit. Qua in re apparuit pene Pyladea Gregorii Maiansii amicitia, qui cum, id quod factum est, animo persentisceret fore, ut censura ipsi tribueretur, et ut omnis invidia in ipsius caput recideret, tamen eam, tanquam succidanea hostia subire voluit potius quam amicum aliqua suspicionis aflaret aura. Quin etiam praeter ea de quibus iam dictum est, aliquot elegantia et erudita nostratium veterum iureconsultorum opuscula partim edita, sed inventu rariora, partim inedita misit, quae thesaurum illum locupletarent, et locum in eo inter tot egregia opera decore obtinere possent. In quo non parum ille hispanorum gloriae consuluit, nec eidem illis obtrectare voluit litteris, si res aequo animo expendatur; non enim negat fuisse post illud tempus elegantiores iurisprudentiae cultores, sed parum, ait, sibi esse cognitos, nec exploratum habere quam studiose germana iurisprudentia in ceteris academiis excolatur.

Post Hermogeniani editionem nihil praeterea ad ius civile pertinens emissit in publicum, sed quae reliqua scripta habebat nec expolivit nec in lucem exire passus est. Habebat autem in scriniis syllogem inscriptionum antiquarum quas supra quadringentas undique ex plurimis nostratum libris, sed praesertim ex Grutero corraserat. Qua vero erat in omnibus rebus accuratione, et loca in quibus aut extant, aut extiterunt, et auctores apud quos reperiuntur adnotavit. Aliquas etiam, cum Tarracone aliquandiu divertisset cum ipsis lapidibus contulit, sed complures deerant quos angli expugnata Tarracone, cum exinde excederent secum navibus avexerant: nec brevis mora eam diligentiam quam res postulabat, adhiberi patiebatur. Opportune vero incidit ibidem in eius manus codex accuratissime exaratus, in quo ex ipsis lapidibus inscriptiones, quotquot antea extabant descriptae erant, tanta cu-

ra ut et lapidum mensuram et litterarum magnitudinem repraesentarent. Cum hoc codice suum diligenter contulit, emendavit, supplevit [1]. Accessit etiam Mantissae loco non parva manus ab archidiacono Francisco Girvesio. Is vir cum iurisprudentiam in academia cervariensi cum non vulgari doctrinae opinione audivisset, Romam profectus, et academiae historiae ecclesiasticae hispaniensis adscriptus, eruditam edidit dissertationem, qua historiam priscillianistarum illustravit. Is igitur Cataloniae inscriptiones aliquot ex muratoriano thesauro praesertim decerptas cum brevibus adnotatiunculis cum Finestresio communicavit. Ubi vero emanavit in vulgus esse apud Finestresium huiusmodi collectionem, certatim a multis et exteris et nostratibus expetita fuit. Nam et Meermannus saepe, et enixe ut eam ad se mitteret rogavit, idemque litteris ad Maiansium vehementer urgebat. Actum etiam de Valchio, qui tum historiam inscriptionum meditabatur: actum etiam de Seckembergio. Quin etiam quaestor regius barcinonensis iussu marchionis ensenadensis de ea comparanda egit; quae tamen ipse postulata tanta dexteritate declinavit ut quae causatus est ipsi quaestori probarit. Sed maxime curam edendi sibi expetebant Maiansii fratres, quam tamen Povio cedere non dubitarunt. Sed neque Povio nec reliquis haec provincia contigit; Povius tamen magno adiumento edendis inscriptionibus Finestresio fuit. Nam cum hic tandem syntagma inscriptionum

1 Clarissimus Ioannes Antonius Maiansius non minus eruditione quam ortu germanus Gregorii frater cum archidiaconus cullensis et praepositus ecclesiae dertusensis esset, emit vol. in fol. M. SS. sic inscriptum: *Recopilacion succinta de las antiguedades romanas, que se hallan del tiempo de los emperadores romanos en la ciudad de Tarragona y sus cercanías, copiadas, y escritas de las mismas antiguedades por Joseph Boy ingeniero en dicha ciudad año* 1713. Hoc quantivis pretii volumen existimat vir ille harum rerum peritissimus, illud ipsum esse ex quo Finestresius ad ornandam suam syllogem valde profecit. In eo autem indicantur inscriptiones quas angli asportarunt, cuius facti meminit etiam Emmanuel Martinus lib. XI. ep. 4.: „Per proxima bella" inquit" cum eruditi quidam angli „tarraconensem agrum diligentius lustrarent, magnam inscriptorum lapidum vim „duabus onerariis impositam navibus in Magonis portum miserunt, ut inde in „Angliam aveherentur."

ipse edere in animum induxisset suum, opportune tunc Bartholomaeus Povius, vir, praeter cetera, latine et graece doctissimus, Tarracone degebat, et, ut erat antiquitatis amantissimus, cum Francisco Foguetio canonico tarraconensi, secum et consuetudine, et studiorum coniunctione devinctissimo, angulos omnes urbis et agri tarraconensis, vestigandis romanorum omne genus monumentis, perlustravit, quorum magnam vim Foguetius, maxime numismatum; collegit. Is igitur, quocum Cervariae coniunctissime vixerat Finestresius, amico in tempore suppetias tulit. Agnoscit ultro Finestresius, apographum, in quo ille summa fide vetera descripserat epigrammata, valde sibi profuisse, tum ut quae ab aliis perperam scripta fuerant emendaret, tum ut aliquot denuo repertas inscriptiones necdum editas, in lucem proferre posset. His munitus praesidiis, syntagma suum publici iuris facere instituit, quo in adornando ordinem sequutus est sane lucidum, et erudiendo lectori aptissimum. Ac primo quidem per oppida eas disponere decreverat, sed cum plerasque ad Tarraconem pertinere animadverteret, mutato consilio, syllogem omnem in septem classes tribuit, quibus seorsum quae ad deos deasque, quae ad imperatores caesares, quae ad flamines sacerdotes, quae ad magistratus pertinent, ordinavit. Deinde militares et sepulcrales inscriptiones attexuit: varias, suspectas, commentitias in postremum locum reiecit. Haec omnia adnotationibus illustravit doctis et laboriosis, ex quibus elucescit, quanta in eo antiquitatis, quanta interiorum litterarum esset cognitio. Non enim antiquariorum scrinia compilat, exponendis iis, quae vulgo nota sunt, antiquitatis capitibus; sed recondita de suo profert, et parce et quantum opus est, ut lumen rebus obscuris affundat. Atque hoc etiam in opere apparet, quantum esset in iure versatus; nam saepe leges vocat in partes, idque opportunissime ad loca difficilia enucleanda; ut non immerito observatum sit, scriptores, etiam cum alia tractant, artem illam prodere in qua excellunt, quamque profitentur. Quanto cum plausu hoc opus exceptum sit, exterorum et nostratium testantur praeclara de eo iudicia. Vidi ego in Italia, in qua propter monumentorum copiam haec studia non

solum vigent sed regnant, doctissimos viros Finestresium summis epigrammatum illustratoribus accensere; cum vero audirent a me aliqui, totum illud opus quadrimestrem dumtaxat esse lucubrationem, quanto tempore vix ipsum quis de scripto dictantem exciperet, admiratione defixos haerere. Atqui huiusce rei oculatus ipse testis sum: aderam enim cum totus in eo erat, et fere quotidianis sermonibus de tota hac re diserentem audiebam. Quod si tam brevi tempore, multis etiam destitutus subsidiis, nam profecto curta huiusmodi librorum erat ei supellex, tantum praestitit; quid non expectandum erat ab eodem, et otio et temporis spatio, et reliquis omnibus praesidiis abundante? In praefatione, de multiplici fructu agit, qui ex hoc studio percipi potest; et iuventutem ad id diligentius et maiori eruditionis instrumento excolendum hortatur. Nec frustra; commovit enim et eximium opus ipsum per se et praemisa adhortatio multorum studia, ut circumquaque novas inscriptiones rimarentur, conquisitas inventasque accurate describerent, descriptasque studiose ad Finestresium mitterent. Hinc non exigua facta est ad primam illam collectionem accessio, eo vel maxime commendanda nomine, quod omnes illius inscriptiones tunc primum lucem aspicerent; quod lapides unde descriptae sunt etiamnum extent; quod summa cura et otiose ab idoneis exscriptoribus ab ipso lapide essent quasi exceptae. His omnibus Finestresius, prout in manus perveniebant, breves adnotationes sed succi plenas, quaeque rem fere omnem continebant conficiebantque, appingebat. Edendi vero curam, expoliendi et amplificandi demandavit egregiae spei adolescenti Raymundo Dovio (de cuius laudibus opportunior erit alias dicendi locus) ut eum quasi manu prehensum in publicum produceret; hocque haberent quasi pignus litterae eximiae in edendis aliis maioris molis ab eo navandae operae. Nec diffitetur vir privis suis abundans laudibus, se multum ex Finestresio in observationibus ad inscriptiones profecisse. Immo id ipse ultro prae se fert, siquidem in Finestresio vindicato: „Edens' ait 'has inscriptiones quae sunt numero XXVII. non tam mea „ quam finestresiana protuli. "Et profecto inest in hisce eadem iudicii

maturitas, in odorandis vestigandisque rebus sagacitas, acumen in nodis extricandis, et, quae vel prima antiquarii, quo rarior, laus est, presse rem agit, supervacanea circumcidit, nec ad aliena ab instituto excurrit.

DE VITA IOSEPHI FINESTRESII

COMMENTARIORUM LIBER QUARTUS.

In sylloge inscriptionum finem scribendi fecit Finestresius, cuius scripta uno tenore enarranda duxi, ut expeditius reliqua persequi possem. Reliquum est enim, ut de ipsius quotidianae vitae consuetudine, de moribus, de domestica disciplina, de consanguineis, similibusque dicam ea, quae ad institutum pertinere videantur: in quibus Finestresii laus potissima continetur. Annum agebat tum quartum circiter et septuagessimum. Ex quatuor sororibus quas habuerat, duo in tenera aetate excesserant e vita; Annam vero Mariam Victoriam lectissimam feminam, cum parentes mature decessissent, summa cura, ut diligens paterfamilias, sanctissime eduxerat. Eam faustissimis auspiciis Antonio Romeu primario iuris canonici antecessori, viro singulari doctrina et sanctitate vitae praedito, multis retro annis collocarat. Is mortem obierat anno MDCCLVII. pridie idus octobris: relicta unica filia non minus paterni nominis quam virtutis herede. Tanta vero apud omnes de patris pietate erga Deum et morum innocentia erat existimatio, ut religioni ducerent, hominis, quem inter beatorum sedes Deo frui non dubitabant, funus prosequi lacrymis [1]. Per id tempus filiam ex sorore felici quodam fato

[1] Praestat verba ipsius Finestresii audire litteris ad Maiansium: „El doctor „Romeu mi cuñado y condiscipulo de Vm. murió el dia catorce del presente mes „(octubre). Su enfermedad venia de muy atras, pues habia muchos años que la „continua meditacion de las cosas divinas, y deseos de ser perfectísimo le habian „alterado la salud. Su muerte fue poco llorada porque todos le tenian por santo, y „lo mostrò bien en los últimos periodos de su vida." De sorore vero cum eius

mor-

utriusque gentis et finestresiae et romeviae nuptui dedit doctori Andreae Massotio, in cuius domo utriusque familiae, quasi hereditario iure, coniuncta etiamnum vigent et litterarum cultus et incorrupta morum integritas. Fuit enim Andreas non solum doctrina, sed multo etiam magis morum integritate et prudentia singulari. Accessit etiam ad rempublicam, et propter amorem quo bene de patria merendi ardebat, decurionatus honorem licet invitus, adnitente et flagitante populo, gessit. Qua in reipublicae parte capessenda id spectavit unice, ut patriae commodis, etiam cum suo maximo incommodo, inserviret, pacem tueretur, lites, et dissidia componeret, egenos et miseros sublevaret, urbis gloriam et decus maximo opere amplificaret. Inter eius virtutes eminebat tamen singularis in Deum pietas, et in omni vita religio animi, nihil tam verentis quam aliquam sibi conscire culpam vel levissimam. Incorrupta vero disciplina domestica et severa, cum suavi quadam patria caritate condita, liberos sanctissime et diligentissime, litteris et moribus instituebat. Quo in instituto mirum in modum sublevabatur ab uxore, Finestresii ex sorore filia, matrefamilias lectissima et sanctissima. Illa reliquas muliebris conditionis suae dotes, non vulgari eruditione ornaverat, nam et in historiae sacrae et civilis, itemque in naturalis cultu; tum etiam in mansuetioribus litteris et disciplinis quantum ex domesticis occupationibus supererat temporis impendebat; ita ut in ea facile finestresianae domus feminam agnosceres. Quin et Finestresius ipse, pro ea qua totam domum complectebatur caritate, institutoris partes sponte et libenti animo suscipiebat. Nam et Antoniolum ma-

mortem sancte obitam eidem nuntiaret: „era exemplar' inquit' de buenas madres „de familias, de virtud sólida, afabilísima en el trato, de singular prudencia y di- „reccion en todo, y muy trabajadora." De Andreae Massotii virtutibus praeclarum quoque dedit Finestresius testimonium, quantum ex Maiansii litteris intelligi potest. In litteris vero ad Maiansium idibus februarii 1766. „Mi sobrina, buena dis- „cipula de su madre (mater iam obierat) se ha conservado buena. Es casada con el „Dr. D. Andres de Massót lucido opositor á catedras de leyes, y heredero de los „pingues patrimonios de su padre y de su madre."

iorem natu filium litteris graecis erudiendum aggressus erat, eo successu, ut puer etiam tum septennis graecae linguae cognitione iam tinctus supra aetatem esset, et libris, quos ipsi magnus eius avunculus praebebat, valde delectaretur; et pater ipse, magistro eodem Finestresio, graecis litteris operam dabat, ut nati studia promoveret. Non multo post conciliatas faustissimas has nuptias, decessit quoque Anna Victoria, de cuius laudibus magnifice non minus quam vere ait Maiansius, si quis perfectae matrisfamilias instar aliquod sibi proponere velit, id in eius vita non adumbratum, sed expressum ita esse, ut nihil ulterius requirat. In hoc tranquillissimo rerum suarum statu cum otio abundaret, et id aetatis esset ut frui iure suo posset fructu laborum suorum, non tamen se otio inerti marcescere passus est. Nam et academiae temporibus nunquam defuit, et coetus celebravit, et munia obivit complura, et periculis candidatorum, eorumque in doctorum collegia cooptationibus frequens adfuit, et auctoritate et consilio rem litterariam publicam iuvare non destitit. Omnino, ut quod summis expetiverat votis Tullius, nec tamen obtinuit, ut post magnos in foro et senatu exantlatos labores, in republica, de qua praeclare meritus esset, principem dignitatis locum obtineret, id omnium consensu in academia consequutus sit Finestresius. Atque ut illum de more assectabantur optimi adolescentes, quos civilibus artibus informaret, sic iste omni ope iuvenes ad optima studia, et ad themidis musarumque sacra quasi Hercules musageta manu veluti ducebat, provehebatque; ut nemini potius Εργοδιωκτȣ (graece dicam, quoniam latine prorsus exprimi nequit) elogium quadrarit, quam Finestresio. Nec minus fortasse privata institutione et consilio, rem promovit litterariam, quam cum publice e superiori loco docebat. Nam si cetera deessent, vel duo argumento esse possent germani fratres Dovii; de quibus Franciscus Dorca, cum iudicium ferret de Finestresii laudatione funebri a Raymundo Dovio habita, elegantissime, ut sunt illius omnia, et verissime cecinit:

Plenius haud poterat laudari academicus heros,
At potuit certe pressius et melius:

Scilicet hoc maius breviusque, domesticus olim
Quod doctor Dovios finxerit ille duos.
Vivet in his posthac, quem sic expressit uterque,
Ut Finestresium bis superesse putes.

Atque Ignatium quidem majorem natu patri cognominem etiam absens Finestresius, dum ille paene puer Barcinone philosophiam audiret, ad omnem doctrinae elegantiam informavit. Supersunt litterae quas latine ad eum dedit, ex quibus apparet, quantam iam tum, quantoque cum fructu Dovius latinis graecisque litteris impendisset operam. Cumque ex paterna egregia disciplina iam valde saperet, philosophiam, ut tum erant tempora, satis incultam et indotatam elegantiorum litterarum et eruditionis cultu exornavit, atque universam, decurso triennali spatio, in magna frequentia non minus diserte quam acute propugnavit. Ubi vero Cervariam auditurus iurisprudentiam profectus est, id tribuit Finestresius patris amicitiae, et egregiae adolescentis indoli, ut secum iisdem aedibus, eodem convictu, et quasi contubernio uteretur; id quod ille propinquis et necessariis suis nunquam induxit animum ut concederet. Ibi delectatus Finestresius Dovii ingenio et docilitate, omnes illi iuris civilis et politioris humanitatis thesauros reseravit. Quam praeclaram vero iam tum de eo opinionem haberet, ostendunt hispanae litterae kalendis februarii anno MDCCL. ad Maiansium datae: Ignatius Dovius, inquit, domi meae iurisprudentiam audit. Valde delector eius consuetudine. Adolescens est egregiis naturae ornamentis praeditus, eductus a puero summa cura, et recta via et ratione ad studia humaniorum litterarum optime institutus, quas singulari studio et assiduitate coluit. Excellit in latinae linguae cognitione; graecam egregie callet. Multam etiam historiae, et romanae antiquitati et eruditioni collocavit operam. Ex his initiis spero fore ut emineat in iuris civilis prudentia [1]. Nec vero spes sapientis-

1 Haec et plura ille, quae totidem verbis iuvat apponere; testantur enim, me nihil non veritati, nihil amicitiae dedisse :,, Don Ignacio Dou (inquit incorrupti iudicii vir) ,, estudia leyes en mi casa: yo gusto mucho de su compañia, porque es muchacho de ,,be-

simum virum fefellit, nam cum doctoris insignibus ornandus mox esset, petitioni praemisit, et hortatu, atque adeo imperio Finestresii publici iuris fecit acroasim in *leg. unic. D. de lege iulia ambitus* in qua legis iuliae, cuius ibi meminit Modestinus, dudum sepultae cineres suscitavit, et ex ipsis rei romanae scriptoribus clara luce donavit. Hos enim duces sequutus, et ipsa legis verba eruit, et singula erudite et non sine novitatis illicio enucleavit. Nihil vero praeclarius ad laudem huius acroaseos dici potest, quam quod Maiansius suspicatus est, potiores in ea partes esse Finestresii, qui nullas fuisse sancte affirmat. Quis vero non miretur, tantam iam fuisse in auditore scientiam legum, ut talis tantusque harum rerum existimator in illa lucubratione Finestresii manum agnovisse sibi visus sit? Ac tum in huius legis expositione Dovii industria constitit. Deinde totum illum de legibus ambitus quam late patet campum complexus commentarium scripsit, in quo ab ultimis reipublicae temporibus leges omnes de ambitu rogatas accurate recensentur: quid unaquaeque superioribus ad coercendum crimen effrenati ambitus, vim legum novis usquequaque artibus declinantis infringentisque, addiderit, ex historicis graecis et latinis, et omni antiquitate declarat. Quem ego commentarium librum magna cum voluptate et fructu tum legi, et eius hortatu loca quaedam graeca contuli et descripsi. Tametsi autem publica luce dignissimus esset, nec

„bellas prendas, criado desde niño con especial cuidado, e instruccion bien ordenada al estudio de las buenas letras que ha cultivado con singular aplicacion, „aun en tiempo de su curso filosofico, en que defendió un acto mayor lucidisimo. „Es excelente latino, entiende muy bien el griego, y se ha dedicado à la historia, y „antiguedad y erudicion romana. Con estos principios espero que saldrà un jurisconsulto eminente. Tiene singularisima aficion á Vm. ᵓ Maiansium alloquitur ᵓ y á todas sus obras, que ha leido con sumo gusto.“ In litteris vero IIII. kalendas octobris ad eundem: „me escriviò Dou, que me obedecio en enviar á Vm. su repeticion „*ad l. iuliam de ambitu* y que Vm. se la alabó. Con todo no hay quien le pueda hacer creer que era digna de publicarse. No he visto hombre mas temeroso del que „diràn. Sin embargo en las funciones publicas tiene una discercion, facundia y esplendor que cautiva à los oyentes.“

ipse Finestresius extorquere ab ipso potuit, ut aut ederet, aut ipsi permitteret edendum. Didiscerat nimirum Dovius a Finestresio non solum eruditionem sed etiam singularem modestiam, qua rebus scriptisque suis diffisus, parvum admodum eis pretium statuebat. Quin hic ad Maiansium scribens, testatur, neminem se vidisse qui publicam hominum opinionem magis reformidaret, cum essent pauci, qui eandem possent maiori cum dignitate sustinere. Id etiam apparuit cum vix doctoris laurea insignitus ex auditore mox antecessor a rege designatus, summo cum plausu nec minori fructu florentissimae iuventuti imperiales institutiones enarravit. Absoluto vero quadriennio, ut et doctrinae suae, et discipulorum eruditionis specimen daret, AElii Marciani librum singularem ad formulam hipothecariam restitutum, emendatum, explanatum edidit, et quinque lectissimis adolescentibus tradidit propugnandum. In hoc docto et eleganti opere non solum dissipata illa marcianaei libri fragmenta in unum colligit, sed et ita scienter et apte ordinat, et in suum quaeque locum tribuit, ut si rem acu non tetigit, nec Marcianum ipsum divinando restituit, vix tamen ab ipso Marciano lucidiori ordine collocari illa potuisse videantur. In interpretatione vero non eandem omnino init rationem, quam ceteri, qui hanc interpretandi viam sequuti sunt. Hi enim recitata lege, commentarium mox subiiciunt; Dovius praemisa de more erudita praefatione, et de Marciani vita et scriptis disquisitione, ad fragmenta tam scite apta inter se et colligata, ut ipsa sibi quodammodo lucem praeferant, breves adnotationes plerasque criticas attexit; quae vero loca operosiorem e media iurisprudentia et arte critica postulant commentationem, ea addito probabilium in Marciani fragmenta eleganti sane libro enucleatius exponit. Quare iure optimo illum Maiansius inter egregios iure consultos, qui luculentissimum hoc interpretandi genus consectati sunt, in praefatione ad suos triginta iuris consultos enumerat. Dicendi vero genus declarat, quam diligenter veterum scriptorum exemplaria evolvisset, quorum dicta et dicendi formulae crebro in oratione eius apparent. Non nemo tamen

ita fusas esse tota oratione mallet ut ne extarent agnoscerenturque; veluti qui signatum argentum conflant ne deprehendi possit. Post traditas quadriennio toto summa cum laude iuris institutiones, cum florere in academia maxime posset, et efficere ut minus Finestresii institutio desideraretur, cura rei familiaris (pater enim iam ab anno MDCCXXXXIX. mortem obierat) eum ab hoc gloriae cursu domum revocavit. Et sane vel hic unus Dovii Marcianus ostendit quantum ab eo ornamenti, cuiaciana iurisprudentia sperare potuisset, quantam academia iacturam eius discessu fecerit. Nec enim deinde Cervariam adiit nisi cum ex senatus academici decreto Ferdinando VI. in funere diserta laudatione parentavit [1]. Re-

1 En operum editiones: *De lege iulia ambitus acroasis inauguralis praecedens pro-docturae gradum habita et propugnata a D. Ignatio de Dou et Bassols in theatro maximo academiae cervariensis. Cervariae typis academicis apud Iosephum Barber anno MDCCLIIII. in* 4°. Hanc cum Dovius ad Maiansium auctore Finestresio misisset, non vulgarem ab eo laudem reportavit.

AElii Marciani I. C. liber singularis ad formulam hypothecariam restitutus et emendatus. Auctore D. Ignatio de Dou et Bassols I. C. barcinonensi, et cervariensi legum antecessore. Cervariae Lacetanorum typis academicis apud Mariam Antoniam Ibarram anno MDLCCVIII. in 4°. De hoc opere Maiansius in praefatione ad commentaria ad omnia fragmenta triginta iuris consultorum pag. VIII. num. 27.. de Dovii in AElii Marciani librum singularem ad formulam hypothecariam opere: „Horum omnium, ait, commentarii, si unum aut alterum excipias, con-„iungi deberent et simul edi magno reipublicae litterariae bono &c." Nec minus praeclare Finestresius litteris ad Maniansium quinto idus iunii anni 1758. „El „Marciano, ait, es obra muy de mi satisfaccion, por elegante, juiciosa, y eru-„dita; en que yo no tengo otra parte que la de haberla leido antes de imprimirse."

In funere Ferdinandi VI. regis catholici oratio ad academiam cervariensem habita a D. Ignatio de Dou &c. Extat in opere: *Oraciones funebres, inscripciones y poesias de la universidad de Cervera en las exêquias que consagró á la augusta memoria del rey nuestro señor Don Fernando VI. Cervera en la imprenta de la universidad por Antonia Ibarra viuda año* 1758. *in* 4°.

Opera inedita: *Commentarius historicus et iuridicus de veteribus ambitus legibus apud romanos. in fol. MS.*

Hunc misit Maiansius Fellembergio syllogae suae opusculorum inserendum, quod non fecit, quoniam alter eiusdem argumenti tractationem iam occuparat.

liquit vero ex disciplina sua egregios iuvenes, quorum bini magistrum imitati, eiusque hortatu (habebat enim omnino hoc etiam finestresianum, ut ipse ad edenda sua hortatore egens, aliis acres ad id ipsum stimulos adderet) acroases suas in petitione docturae publici iuris fecerunt: quas cum vidisset Maiansius gratulatus est Finestresio, quod huiusmodi florentissima iuventus in spem elegantioris iurisprudentiae succresceret. Horum alter Ignatius Arenyus dissertationem de missilibus, cui epistolam Dovii praemisit quem au-

Dissertatio de servitute altius tollendi M. S. in 4°. De ea sic Finestresius ad Maiansium octavo kalendas augusti anni 1751. ,, Don Ignacio Dou me ,,escriviò una carta latina enviandome su disertacion *de servitute &c.* Ella es muy de ,,mi satisfaccion, por elegante y fundar bien su parecer contra la opinion corrien- ,,te de Corasio, Vinnio, y la de Cuiacio y otros que jamas me han pare- ,,cido probables. Yo le aconsejé que se exercitara en semejantes obrillas para en- ,,tretenimiento y enseñanza." Haec sunt Dovii opera; quae sequuntur, eius auditorum.

Acroasis iuridica ad legem unicam Cod. De his qui ad statuas confugerunt praecedens pro-docturae gradum habita a D. Raymundo de Parrella et de Rialp. Cervariae Lacetanorum typis academicis apud Antoniam Ibarra anno 1761. *in* 4°.

De Missilibus ad leg. 9. §. 7. *de adquirendo rerum dominio prolusio praecedens pro-docturae in iurecivili periculum habita a D. Ignatio de Areny et de Montargull philosophiae doctore ad academiam cervariensem, pridie nonas aprilis. Cervariae typis academicis apud Antonium Ibarram anno* 1761. *in* 4°.

Interea dum hic commentarius typis describitur Ignatius Dovius vitam cum morte, vel potius fluxam hanc et mortalem cum beata et immortali vita, non sine ingenti reipublicae iactura, commutavit. Vir siquidem amplissimus non solum insigni eruditione, et legum scientia; sed etiam consilio, prudentia, rerum agendarum dexteritate singulari valuit: quibus artibus non exiguam publicae rei partem sustinuit, gessitque summa et fide et industria. Quod vero caput est vitam ad christianae legis praescriptum perpetuo composuit: et in re familiari sane quam lauta et copiosa, in civitate deliciis circumfluente, incorruptam vitae integritatem et pietatem, cum temperato liberalique rerum omnium usu et cultu copulavit: ut hac etiam in parte amantissimi praeceptoris sui mores et disciplinam penitus expresserit. Unde minus mirum videatur, si Finestresius illum unum semper eximium habuerit, quem unice prae ceteris auditoribus diligeret, cuique summa omnia impense tribueret. Verum hic de praeclaris eius viri laudibus dicendi locus non est, quae longiorem orationem postulant. Haec tamen qualiacumque desiderio meo, immo, bonorum omnium re ipsa praesertim admonitus debere me non posse existimavi.

ctorem habebat editionis; atque hic quidem spem quae de illo erat immatura morte destituit. Alter Raymundus Parrella et genere et litterarum cultu nobilis ad legem unicam cod. de his qui ad statuam confugiunt acroasim recitavit, qui etiam in interpretatione Ulpiani l. 2. D. de in ius. voc. „Sententiam ' inquit ' sequutus sum quam mihi reddidit clarissimus Finestresius noster, cum eum super ea re consulerem." Hic etiam profitetur adductum esse ut eam in lucem proferret exemplo institutoris sui; „qui mihi ' inquit' „praeluxit dum acroasim suam de lege iulia de ambitu προδομον τῆς „μελλοδιδασκαλίας evulgavit. Quamquam non tam me movit clarissi- „mi viri exemplum, quam adhortatio et poene dixerim iussus." Atque haec acroasis a Finestresio ad Maiansium missa causa fuit illius quam dixi gratulationis.

Desiderium Ignatii lenivit minor natu germanus frater Raymundus, qui non multo post illius discessum ad Finestresium venit iuri civili et canonico daturus operam. In eo eadem omnia inerant quae in maiore fratre, eadem naturae bonitas et ingenii, idem sapientiae amor, idem ad capescendas disciplinas impetus, ardor, assiduitas. Nec tam ego haec praedico quam Finestresius ipse, qui eius adventu omnibus incedens laetitiis, non potuit non in amici sui Maiansii sinum gaudium suum effundere. Tanto vero gaudebat magis quod Raymundus se totum litteris et academiae dedit, nec illum ab huius sinu, ut fratrem, cura augendi census et rei familiaris abstraxit. Accedebat quod minus eum reluctantem in editione scriptorum suorum experiretur, verentem illum quidem hominum opinionem, sed non adeo lucem publicam refugientem, ut ei se, cum opus esset, non committeret. Sed de hoc idcirco dicendum erit brevius, quod si omnia persequi vellem, alius mihi commentarius huic vix minor esset conscribendus; quod neque huius est loci neque argumenti. Nactus igitur Finestresius animum, tanquam solum fertilissimum, et ad doctrinae satus accipiendos idoneum, eum per totos quatuordecim annos, quibus eius convictu et consuetudine usus est, diligenter excoluit. Sed praestat

id ipsum ab ipso Dovio praefatione ad Finestresium vindicatum audire: „Statim, ' ait ' atque a pueris excesseram, ad domum Fine-„stresii deductus fui, ut a praeclarissimi viri latere nunquam dis-„cedens legitima conficerem utriusque iuris stipendia. Ex illo „tempore nullum video genus esse officii, quod in me non con-„tulerit Finestresius. Quae devorandae sunt molestiae in tirone „alicuius artis erudiendo, eas omnes in me instituendo libentis-„sime suscepit praeclarissimus vir. Ille utiliores selectissimae biblio-„thecae suae libros in manus meas posuit: ille prima elementa et „spinosiora iuris praecepta tradidit. Contendenti vero ad bonarum „artium studia quantum mihi adiumenti fuerit haec domestica „doctoris optimi institutio vix queo dicere." Haec ille. Ac primus quidem extitit huius culturae fructus, cum proludens ad pro-doctoris insignia orationem de dominio maris habuit, ediditque urgente editionem Finestresio, cui etiam ille προσφωνησεν, vim sibi illatam, ait iocans Finestresius, ulturus; qui etiam ad Maiansium testatur nullas fuisse suas in ea elaboranda partes. Maiansius vero de ea sic litteris Oliva IIII. kalendas maii: „Oratio Raymundi Dovii de „dominio maris mihi vehementer arridet et propter argumentum tot „concertationibus agitatum, et propterea quod quaestionem magno „rationis pondere, tam solide tanta argumentorum copia, et inaffe-„ctata sermonis elegantia decidit. Pulcherrima etiam est altera ip-„sius oratio ad legem tertiam codicis *de filiis officialium militarium* „propter argumenti delectum, quod concinne admodum et magno cum „iudicio exponit." Ita ille. Creatus iuris civilis doctor canonico operam dedit. Binis legitimis in nova hac militia confectis stipendiis praeviam de more ad pro-doctoris canonum insignia praelectionem recitavit. In ea vero ostendit non se pervulgata dumtaxat decretalium via incedere voluisse; sed quemadmodum ius civile cum antiquitatis romanae studio, ita canonicum cum ecclesiasticae antiquitatis cognitione coniunxit. Auctore enim Finestresio argumentum e media ecclesiae historia sumpsit, orationemque contra Vigilantii haeresim, habuit plane disertam. Huic, cum eam eiusdem

hortatu quamquam diu reluctatus ederet, dissertationem adiunxit in qua multis et gravibus contendit argumentis fuisse quidem Vigilantium ecclesiae barcinonensis presbyterum, et in ea curionis munere functum fuisse; sed neque gente hispanum fuisse, neque errores suos Barcinone seminasse, contra quam Baronius, Mariana, aliique tradidere. Adhuc vero Dovius iuris utriusque consultissimi viri personam cum laude sustinuit; sed cum vellet Finestresius, ut quantum in alio etiam litterarum et eruditionis genere profecisset, ostenderet, ineditas Cataloniae inscriptiones et in lucem proferendas et adnotationibus illustrandas tradidit. Quae vero partes in hoc opere Dovii fuerint, satis superque paullo ante memoravimus. Maiorem vero laudem consequutus est alio eiusdem argumenti opere, quam laudem totam, quantacumque est sibi vindicare iure optimo potest, in quo non solum eruditionem suam, sed etiam gratum erga institutorem suum animum egregie commendavit. Clarissimus Henricus Florezius in volumine vicessimo quarto Hispaniae sacrae tarraconenses antiquitates enarraturus Finestresium inclementius acceperat, quam aut amicitia, aut utriusque dignitas postulabat, eumque tanquam depontanum senem paene ludibrio habuit. Hic enimvero operae pretium est finestresiani animi moderationem cognoscere. Cum rumor huiusce rei percrebuisset adeo commotus non est, ut etiam gratias Florezio agendas existimaret, siquidem errores suos emendasset. Sibi enim semper in votis fuisse, aiebat, ut existeret aliquis, qui ea quae in opere deerant suppleret, et male illustrata in meliori luce collocaret. In hanc sententiam scripsit ad Dovium Barcinone tunc agentem, qui lecto Florezii opere ad amici et magistri iniuriam exarserat. Ita enim omnino evenit, ut cum Dovius, Maiansius, ceteri rem aegerrime ferrent, ipse animo tulerit aequissimo. Cum vero liber ad manus eius pervenit, cognovit leviora esse peccata in quae animadverterat Hispaniae sacrae scriptor, neque digna pro quibus tantas turbas excitaret. Ubi vero eum prae aevitate animo iam debilitatum, et oculis caecutientem traducit, idque ad nauseam incul-

cat, risit optimus senex, qui se et omnibus sensibus et toto corpore, et integra mente vigere experiretur. Atque ipse quidem causam egisset suam, sed cum eum libri aliquot deficerent, sine quibus reprehensiones adversarii, neque agnoscere posset nec refellere, hanc provinciam ille demandavit discipulo, qui eam et propter necessitudinem, quae cum eo erat, vellet, et propter copiam librorum tueri posset. Atque parum commode accidit Florezio, quod Finestresius pro se ipse non oraverit; nam quae ipsius erat aetas et aequanimitas mitius hominem excepisset. Dovius vero cum et amici, et institutoris, et viri de se optime meriti, et iniuriosius appetiti causam defendendam suscepisset, rem magno animi ardore aggressus, non ille quidem verbo Florezii famam laedit, nec in convicia descendit, aculeata tamen et vehementi oratione usus est, quae nec aequissimam causam, nec ipsius aetatem dedeceret, et adversarii provocatio postulabat. Quin ipse vir mittissimus scripta elegantissima ad defensorem suum epistola hispana totam huiusmodi tractationem probare non dubitavit; neque enim si illata minus commovebatur iniuria, idcirco, si non ulciscendum, saltem vindicandum asserendumque honorem suum contra ius fasque laesum non arbitrabatur. Hactenus litterariae Dovii laudes cum Finestresio aliqua ex parte communicari non immerito possunt. Quam vero laudem non iam auditor, sed tanti magistri aemulator, clarissimus iuris civilis et canonici antecessor reportavit amplissimam, ea quam maxima est tota ipsius est: neque Finestresius aliam sibi partem vindicare potest, nisi quod eius institutione factum est ut talis tantusque evaderet. Quare cum haec neque huius instituti sint, neque explicari pro merito possint nisi altero commentario, aliis praedicanda relinquimus [1].

1 Non alienum tamen a proposito erit indicem librorum ab eo adhuc editorum texere. Sunt autem.

D. Raymundi Lazari de Dou et Bassols: De dominio maris oratio, habita ad cervarienses academicos in petitione iuris civilis doctoratus pridie id. decembris anni 1765. Accedit oratio ad legem tertiam codicis de filiis officialium mili-

Verum non modo Doviis, aliisque magnae spei adolescentibus auctor fuit ut praelectiones suas paullo diligentius elucubratas in lucem emitterent, sed etiam statis illis professoribus quos perpetuos vocant. Cum enim hi lege academica ex eo tractatu quem e cathedra dictant auditoribus suis relectionem habeant sub finem annui curriculi: et exemplo praeivit et hortatu pluribus persuasit, ut argumentum eligerent, quod aut novitate, aut elegantia, aut eruditione posset lectores allicere, idque accuratius quam fieri solet expolirent ederentque. Itemque ut iidem in thesibus pro more defendendis partem aliquam iuris civilis, aut eius quam quisque profitetur disciplinae sibi sumerent illustrandam. Hinc factum est ut complures editae sint dissertationes, multi tractatus, multa opuscula et doctrinae et sermonis elegantia, ea qua donata sunt luce dignissima, quaeque documento erunt posteritati, quantum scientiarum bonarumque litterarum studium in academia cervariensi per id tempus effloresceret. Nimis longum esset et parum huic loco con-

litarium. Cervariae typis academicis anni 1766 *in* 4°.

Eiusdem: *De tribuendo cultu Sanctorum Martyrum reliqaiis in Vigilantium et recentiores haereticos oratio, habita ad cervarienses academicos in petitione iuris canonici licentiae pridie id. iunii anni* 1767. *Accessit praevia de Vigilanti patria, vita et haeresibus dissertatio.* Ibidem eisdem typis 1767 in 8°.

Eiusdem: *Inscriptiones romanae in Catalaunia repertae post vulgatam syllogem D. D. Iosephi Finestresii nunc primum editae.* Ibidem iisdem typis anno 1769. in 4°. Quae fuerunt in hoc opere Dovii partes diximus in commentario.

Eiusdem: *Finestresius vindicatus adversus clarissimum virum Henricum Florezium augustinianae familiae ex-assistentem &c. Barcinone typis Francisci Suriá anno* 1772. *in* 4°.

Eiusdem: *In funere D. Iosephi de Finestres::: Oratio habita ad senatum academicum decimoseptimo kalendas ianuarii anni* 1778. *ex academiae decreto typis excussa. Cervariae typis academicis anni* 1778. *in* 4°.

Eiusdem: *In anniversario Philippi V. funere oratio habita ad academiam cervariensem decimoquarto kalendas ianuarii annni* 1783. *Barcinone apud Franciscum Suriá anno* 1784.

Orationes duae in petitione docturae iuris canonici D. Philippi Fuertes Amar, habitae decimoquinto kalendas iulii anni 1788. *ab eodem D. Philippo, cliente iuris civi-*

veniens ire per singulos; Ioannem tamen Roviram gravissimum theologum praetermittere nullo modo possum. Hic vir priscis moribus et antiqua probitate, cum Finestresio familiari consuetudine coniunctus erat morum similitudine confirmata, cum quo etiam pomeridiana spatia solitus erat conficere. Ita vero ethicam christianam, cuius erat professor excoluerat, ut non solum in scriptoribus illis recentioribus, qui de dubiis ad conscientiam pertinentibus respondent, quorum tamen non satis severum usquequaque delectum habet tempus otiumque contereret, sed etiam antiquitatis ecclesiasticae, conciliorum, veterumque canonum non vulgari esset cognitione praeditus. Ab hoc igitur pro necessitudinis coniunctione facile impetravit, ut dissertationes suas de more habitas evulgaret. Quin etiam singulis auctoris nomine praefatus est ipse Finestresius, et stylum emendavit. Habebat enim hoc vir ille sapientissimus cum non paucis aliis nostratibus doctissimis hominibus com-

civilis doctore, et primario pro-professorae, et a D. Raymundo Lazaro de Dou:: patrono &c. Cervariae typis academicis anno 1788. *in* 4°.

Duae orationes in docturae petitionibus habitae ad cervariensem academiam a D. Raymundo Lazaro de Dou &c. Ibidem eisdem typis anno 1788. in 4°. Prima harum oratiuncularum leviusculi argumenti, non eo consilio elucubrata ut publicam lucem aspiceret, idcirco edita est, quoniam ex ea orta est inter Dovium et clarissimum theologum ex Sancti Francisci familia Franciscum Danielem sine acerbitate, ut inter viros gravissimos, dissensio. Vir hic doctissimus Dovium imminutae maiestatis theologiae reum peregit quod theologiam servire iurisprudentiae Dovio exciderit. Illi vero eleganti praefatione, ita Dovius satisfecit, itaque sententiam mollivit, ut sua utrique scientiae dignitas conservata videretur.

Eiusdem: *Instituciones del derecho general de España con noticia del particular de Cataluña, y de las principales reglas de govierno en qualquier estado. Madrid en la oficina de Don Benito Garcia año de* 1800. *en* 4°. Egregium opus multarum vigiliarum multaeque doctrinae, unum denique singulari auctoris eruditione et sapientia dignum, in quo plus est in re quam in fronte. Non enim omnes modo iuris publici, sed et publici regiminis et politicae aeconomiae partes amplectitur. Quod post immeritam a paucis alienae gloriae invidis repulsam acceptam, summis deinde commendatum probatumque laudibus octo voluminibus, quorum duo iam dum haec scribimus lucem aspexere, prodibit.

mune vitium, qui quae optime et erudite excogitarunt ornare dicendo non possunt. Leviter tamen et habita personae et theologici sermonis ratione in emendando versatus est, ut verba potius ad popularem de schola scriptorum trutinam, quam ad aurificis stateram exigeret. In his tamen magna morum et canonum disciplinae prudentia elucet, iudicium maturum, et in respondendo de dubiis in foro conscientiae exercitatum, et ea moderatio quae nec habenas laxat licentiae, uec ultra fas et aequum retentat adstrictius; neque deest suo loco ecclesiastica non de vulgo eruditio, ut cum de disciplina ieiunii et de bonis reditibusque agit ecclesiasticis. Quapropter magno usui esse possunt iis qui consulentibus, et peccata confitentibus de legibus et moribus christianorum respondere profitentur [1].

Neque vero dum alios studiorum et litterarum amore inflammabat, ipse interea vacatione aetatis utebatur, ut se otio traderet. Nulla enim in re academiae deerat, immo totam complexus est, nihilque fere magnae rei actum est in qua non interfuerit solum, sed etiam praefuerit; nam et dum senatus habebatur frequens aderat, et consilio et opera in negotiis expediendis praesto erat, et cum academiae sententia de rebus ad litteras pertinentibus etiam ab administris regiis exquirebatur, nunquam non adhibebatur Finestresius, ut eius consilio academia consulentibus satisfaceret. Sed

1 Relectiones autem sunt quae sequuntur.

Dissertatio theologico-moralis de iureiurando. Auctore Ioanne Rovira Guixerns presbytero, philosophiae et sacrosanctae theologiae doctore, atque in pontificia et regia cervariensi universitate, theologiae moralis professore. Cervariae Lacetanorum typis academicis, apud Emmanuelem Ibarra anno 1755. *in* 4°.

Eiusdem: *Dissertatio theologico-moralis de ieiunio ecclesiastico.* Ibidem anno 1756 in 4°.

Eiusdem: *Dissertatio theologico-moralis de bonis clericorum.* Ibidem anno 1757. in 4°.

Eiusdem: *Dissertatio theologico-moralis de quibusdam conventionibus ex quibus certum lucrum exigitur pro pecunia alteri collata.* Ibidem anno 1758. in 4°.

Eiusdem: *Compendium eorum quae in sacramentali confessione exponenda sunt.* Ibidem: 1759. in 4°. Haec relectio quae iustum volumen conficit, non nisi ab homine

mine

haec quidem senum quodammodo, ut ait Cato, sunt officia. Illud vero mirum potuisse etiam in extrema aetate celebrare caetus illos, in quibus pericula capiuntur eorum qui aut primum academicum honoris gradum, aut pro-doctoris petebant insignia. Quod etiam magis mirum videbitur ei qui noverit, quam aerumnosi laboris, quam ex promptae memoriae et doctrinae ea res sit, in quo non magis prope de petitore quam de suffragatore periculum fieri videtur. Nimirum recreabat mirifice illius animum in huiusmodi laboribus ultro suspiciendis, cum videret, egregiae indolis iuvenes praeclara de se praebere specimina, et in litterarum spem magnam adolescere. Id ipse testatur octuagenarius ad Maiansium scribens: Valde me exercent pericula petitorum ad gradus, et bonas horas deposcunt sibi complurimas; id vero me reficit, et qnodammodo etiam delectat, cum videam candidatos tam praeclare muneri suo satisfecisse, qui sane magnam et elegantiae, et eruditionis et doctrinae laudem reportarunt. Nunquam academia melius nacta est excellentium iurisconsultorum seminarium. Sic ille: et iure optimo; nihil enim est suavius, nihil iucundius docta senectute stipata satellitio studiosae iuventutis, quam illa ad omne sapientiae decus instituat. Hac igitur excitatus spe neque se frangi laboribus, neque vigiliis patiebatur. Extant centum circiter et

mine proficisci potuit talibus in rebus valde exercitato multoque usu et experientia edocto. His vero qui in tribunali poenitentiae iudices sedent facem lucere, magnoque adiumento esse potest. Fuit enim in hac theologiae parte eruditissimus et experientissimus; dicere solitus se, cum huiusce disciplinae librum percurrisset, confestim agnoscere esset ne auctor de schola et umbra, an ex foro et, ut ita dicam, ex sole et pulvere theologus; cuius domus quasi quoddam erat oraculum, unde in ethicae christianae dubiis a civibus suis responsa petebantur.

Eiusdem: *Dissertatio theologico-moralis de distributionibus quotidianis.* Ibidem typis academicis anno 1765. in 4°. Haec item spissa et operosa dissertatio, quae non mediocri constat volumine, ab amico auctoris, eodem invito et paene reluctante publici iuris facta est, magno illorum sacerdotum commodo, qui ad horas canonicas publice concinendas lege adstringuntur, ex qua prudens et fidele capere possint consilium quod in dubiis rebus tuto sequantur.

viginti oratiunculae, quas ipse ad senatum habuit academicum, cum clientes suos patronus de more eidem sisteret ad doctoris insignia capescenda; quarum aliquas cum extremis vitae suae annis dixerit, inde coniectura fieri potest quam exercitam habuerit senectutem. Has autem licet multis eloquentiae, et elegantiae luminibus insignitas tam celeriter conficiebat, ut cum nescio quam petenti Dovio patri missurus esset, testetur plus se temporis in eadem exscribenda quam in conscribenda posuisse. Cum memoria alias paene ad miraculum valeret, tamen ubi illi commendanda erat oratio et continuatio verborum parum prompta et fideli eadem usus est. Quare fatetur ipse se quoties sibi dicendum esset de superiori loco memoriae difisum prae solicitudine contremiscere. Nec vero diffitendum est defuisee Finestresio eam eloquentiae partem, cui primas, secundas, et tertias Demosthenes deferebat. Non enim solum memoria illa continuatorum verborum, sed etiam actione parum valebat. Cum vero non ad populum, sed ad sapientissimorum hominum concionem verba faceret, qui de oratione etiam sine actionis lenocinio iudicare possent, minus in eo pars illa eloquentiae desiderabatur. Mitto curam rei typographicae quam nunquam dimisit. Immo octuagenario maior, ait se huiusmodi labores deprecari non posse, qui ipsi ab academia nec pauci nec leves imponebantur. Id etiam aetatis puellam celeberrimi typographi Ioachimi Ibarrae ex fratre filiam artem docuit formas litterarum graecarum in tabulas praelo mandandas compingendi: cuius prima tentamina ad Maiansium mittens multum se ex his initiis sperare ait, quoniam paucis ea diebus legere ita didicerat, ut gradum mox ad typos graecos apte coagmentandos facere posset. Sed multo maiorem negotiosioremque provinciam eodem fere tempore procurandam suscepit. Post mortem Blasii Quintanae academiae praefecti eius bibliothecam multorum bonorumque librorum sibi illa comparavit, quam publico academicorum usui consecraret. Finestresius qui unus omnium optime rei bibliographicae gnarus esset delatam ad se bibliothecae praefecturam, libenti animo, sine ullo rei familiaris compendio, solo

adductus academiae et litterarum amore, suscepit. Quantae vero ipsi devorandae molestiae, quanti labores exantlandi in ordinanda bibliotheca fuerint, in litteris suis non semel ipse testatur. Nam et notam singulis voluminibus typis impressam compegit, quae illud ad academiam pertinere testaretur, et si volumen dono datum esset donatoris nomen adscripsit. Libros in classes pro cuiusque argumento tribuit, et unicuique scrinium, capsam, numerum assignavit, notavitque. Duplicem confecit indicem; alterum arythmeticum scriniorum, qui et disciplinarum ordinem indicaret; alterum universalem alphabeticum, qui locum quem in scriniis volumina obtinerent digito quasi monstraret: nullam denique diligentissimi praefecti sollicitudinem praetermisit. Nec minor ipsius diligentia fuit in novis comparandis undecumque voluminibus, quibus ea duplo fere locupletior evasit. Multa praeterea magni pretii et rariora volumina ei dono dedit, et Petro Ioanni fratri aliisque ut darent auctor fuit. Inter haec nec eum omnino a scribendo aetas ingravescens deterruit. Praeter adnotationes Petri Fabri ad Ulpiani titulos, et ad Paulli sententias de quibus diximus, alias benemultas et bene longas eruditissimasque illius doctissimi iurisconsulti habedat in scriniis. Has ipse descripserat ex ora exempli illius observationum cuiacianarum quo Faber usus fuerat, quodque forte fortuna in Gonserii manus pervenerat. Complura in illis scriptorum graecorum loca eaque prolixa graece tantum loquentia laudabantur. Subscesivis igitur horis, ut oblectaret otium, quemadmodum idem ait, ea loca latine interpretatus est, eo consilio ut aut ipse in lucem emitteret, aut oblata occasione novae cuiacianorum operum editionis typographo traderet, quibus ea et locupletior fieret et vendibilior. Quantum vero in hac etiam interpretandi exercitatione valeret argumento esse possunt ea loca adnotationum in Paullum et Ulpianum, quae interpres non minus fidus et accuratus quam elegans, e graecis latina fecit.

Nunquam etiam non praesto erat iis omnibus qui eius de rebus gravissimis sententiam exquirebant. Non solum vero Cervariae

fere quotidianam operam dabat de re litteraria consulentibus, sed crebro etiam exteris doctissimis viris. Atque ut aliquos commemorem, Carolus Christophorus Pluerius legationis Danicae administer sacrorum, lecta sylloge inscriptionum, quam ei dono miserat Maiansius, Finestresium unum omnium maxime idoneum existimavit, qui difficiles ipsi nodos extricaret, a quibus se explicare non poterat, cum de deductione coloniarum et modo soli inter colonos dividendi, tractationem instituisset. Eos solvit Finestresius pene extemporali epistola, quam merito eruditissimam appellat Maiansius, pro qua Pluerius magnopere se illi obstrictum professus est, et litteris ad eum datis summis illius eruditionem laudibus extollit. Paullo post dissertationem suam de modo agri colonis olim romanis distributi ad nostrum misit: „Vellem' inquiens' extaret qua„lecumque existimationis meae documentum, ex quo certe pateat „quanti faciam iudicium tuum." Accepta vero Finestresii ad dissertationem censura, gratiis pro ea actis: „Tuam epistolam' ait' qua „more tuo solide atque erudite exhauris materiam a me delibatam „tuoque iudicio subiectam, auro mihi cariorem esse certo certius est." Atque ut constet quam late pateret eius eruditio, quaedam alia persequamur. Petrus Lacuza, quem Rex societati mathematicarum artium matritensi praefecerat, motus opinione, quae apud omnes de Finestresio erat, eum consuluit de leucae hispanicae modo et magnitudine; ut de tota hac re Regi, qui hanc ei curam imposuerat, accurate rationem redderet. Epistolae vero Finestresii rescribens, gratiis pro erudita responsione actis: in hoc, ait, tenebricoso argumento vix lux aliqua alia effulget, quam quae ex gravibus et maturi iudicii observationibus tuis emicat: illae mihi facem praeferunt, quarum ductu et firmamento dignum aliquid de re obscura possim expromere: omnino sententiam tuam illico amplector. Sic ille [1].

1 Hae litterae adnitente clarissimo viro Iosepho Vega editae sunt in Ephemeridibus eruditis hispane editis ab Antonio Valladaresio. vol. XXIIII. edito Matriti apud Blasium Roman anno 1789. in 4°. De eadem re consultus Maiansius ab Arandae Comite litteras ad eum dedit quae in vol. XVII. earundem Ephemeridum reperiuntur.

Argumenti longe diversi consultatio erat Iosephi Cevallos. Is disciplinae ecclesiasticae, liturgicae, rituumque sacrorum professor a Rege designatus varia hispaniarum concilia, martyrologia, kalendaria, et necrologia nondum edita collegerat. Hanc collectionem ut augeret perficeretque quantum fieri posset, opem imploravit Finestresii, obsecrans ut quibus in Catalonia tabulariis huiusmodi monumenta repperiri queant, quae sint concilia inedita, qui de iis scriptores, ipsi commonstraret. Quid ipsi responderit Finestresius non comperi. Ego quidem hoc eodem anno cum amico meo Benedicto Riba ordinis Sancti Benedicti rei diplomaticae peritissimo in monasterio Rivipullensi bina martyrologia, plura necrologia, et kalendaria repperi; et plura alia sine dubio repperissem, in tot membranis et voluminibus locupletissimi illius tabularii, si per valetudinem et temporis angustias (quindecim scilicet dierum) licuisset. Possem praeterea nominare Iosephum Martinesium, Franciscum Eliam, Ballesterium, aliosque quamplurimos, quorum legi litteras, qui lucem in rebus obscuris et retrusis ab eius eruditione expectare se inprimis profitentur. Sed quid tamdiu in privatis moror? Ipse senatus regius regiique administri ea de quibus ab integris academiis sententiam exquirebant, Finestresio quasi cuidam disciplinarum universitati examinanda proponebant. Extant Ignatii Igaredae binae epistolae senatus regii nomine ad ipsum scriptae, in quarum altera ipsi expendenda proponitur nova institutionis ratio et via ad studia linguarum, geographiae, chronologiae, historiae, matheseos, philosophiae, et politices, quam Ioannes Antonius Gonzalez Cannaveras obtulerat. In altera vero consilium ipsius expetitur de novis condendis legibus in probandis aut reiiciendis scriptis quae deinceps essent in lucem proferenda. Idem senatus regius eiusdem Cannaverae grammaticam generalem, et nescio quam ad studia humaniorum litterarum manuductionem ad Finestresium misit, ut quid de singulis vacuo a praeiudiciis animo sentiret, libere exponeret. Dolendum sane est non extare ad haec et alia huiusmodi quaesita hominis doctissimi responsionem. Id tantum ex litteris ad Maiansium

Cervariae pridie id. aprilis anni MDCCLXXI comperio, quod ad Cannaveram attinet, satis benigne et liberaliter a Finestresio cum eo actum; vereri tamen se ait, ut tot et tanta quae ingenti conatu susceperat, ad exitum queat perducere. Fervebant ea tempestate omnia novis emendandorum studiorum rationibus. Publicae academiae, privati homines alii aliam rationem inibant. Res omnis magnis concertationibus agebatur. Nec minora erant in academia cervariensi partium inter se dissentientium studia, praesertim cum regius senatus academiae salmanticensis studiorum rationem cervariensis examini subiecit. Finestresius, quod ex litteris Maiansii constat, satis se officio suo satisfecisse ratus si candide quae in ea probanda sibi quae emendanda viderentur aperiret, ab omni contentione abstinuit. Quin etiam cum nullum digladiandi finem fieri videret, suamque unusquisque sententiam mordicus tueretur, ipse ultro eam sibi depoposcit ornandam spartam, quam ambiret nemo, potius iuvandi bonas litteras, quam dignitatis suae memor. Ea igitur quae ad primam latinarum graecarumque litterarum eruditionem pertinent, ordinare magno studio aggressus est. Verum id adeo ex eius animi sententia non successit, eoque res deducta est, ut ad Maiansium scribens ultro fateatur manente eo rerum statu fore ut brevi latinae linguae cognitio a gymnasio cum veteribus institutoribus exularet. Accepi nuper ab ipsius famulo, qui tunc grammaticae latinae operam dabat, sibi fuisse auctorem ut alio instituendus latinis litteris commigraret. Non quod aut ipsi prudentia rei scholasticae temperandae, aut idonei praeceptores deessent praesertim ex his, qui ex disciplina veterum praeceptorum, quibus erat succedendum, prodierant; quorum multi quantum in hisce litteris valerent ostenderunt alibi persaepe; sed quod nemo, praesertim tenuissimo proposito stipendio, quantum priscis magistris pendebatur, in illud se pistrinum detrudi patiebatur. Multo enim maiora commoda maiori cum splendore et dignitate petendis honoribus et academicis et ecclesiasticis consequi se facile posse sperabant. Litterae tamen latinae postea, quantum audio, to-

lerabiliori conditione si non florentissima usae sunt.

Nec meliori successu res eadem a Maiansio tentata est. Hic vir ad maiora natus, et de litteris et Hispania immortaliter meritus ab ineunte adolescentia mira ardebat cupiditate, quod ex multis scriptorum suorum locis liquet, primam litterarum institutionem suo more refingendi. Idcirco simultates non semel ultro suscepit cum iis institutoribus, qui tunc ludos huiusmodi moderabantur. Atqui, ut valentinos eorum temporum dumtaxat commemorem, Basquazii, Serrani, Alafontii, Eximenii, alii, quam non contemnendi essent non modo litteratores, sed et litterati, eorum scripta declarant. Quam vero non improbanda institutio ostendunt eorum alumni, qui ubique elegantia et liberali eruditione ceteris antecedebant. His igitur non solum a ludo litterario, sed etiam a patria procul amandatis, cum haec ei reipublicae pars administranda delata esset a Rege, quod tot votis expetiverat in grammaticos et rhetores regnum, atque ut ait nescio quis, sceptrum paedagogorum consequutus omnibus incessit laetitiis. Sed non diu postea quanta in eum molestiarum inde moles incumberet, et quam morosa et contumax esset grammaticorum natio, magno suo incommodo intellexit. Munitus ille erat Regis favore, regiorum ministrorum auctoritate, senatus regii decretis: tot tantisque praesidiis homo eruditissimus armatus cum esset, ubique tamen eius imperiis resistebatur. Legi litteras quas complures eo tempore ad Finestresium scripsit. Plena sunt in his omnia querelarum et criminationum, cum neque hilum proficere posset, neque se ipsius consiliis et auctoritate regi academiae paterentur. Quin etiam in quadam epistola se desertum ab omnibus praeter clarissimum Marchionem Rodam regium administrum acerbissime conqueritur. Atque haud scio an alibi quam Olivae naturali solo, grammaticas suas institutiones suamque methodum in mores inducere potuerit. Porro cum multa grammaticae suae exempla Cervariam misisset, ad eundem Finestresius elapso iam non exiguo tempore omnia ad unum in eadem, qua primum reposita fuerant, promptuaria char-

tarum cella totidem scripsit extare. Quin ipsi Maiansio diserte scribit, sibi persuasum omnino esse eius grammaticam in hispaniarum ludis litterariis nunquam receptum iri. Nec iniuria fortasse homines refragabantur. Nimirum Maiansius, cum eruditione abundaret inprimis, usu et periclitatione destitueretur, aptior erat magistris scribendo erudiendis, quam pueris eorumque studiis temperandis. Et sane ut de grammaticis eius institutionibus et Tullio tantummodo loquar, de quibus ipse sibi mira et inaudita pollicetur, parum mihi ad muniendam latinitati et eloquentiae viam primae adolescentiae videntur opportunae. Excusat ille quidem grammaticae prolixitatem, quod praeceptis satis brevis sit, exemplis autem dumtaxat bene longa, neque animadvertit quanto fructuosius sit in enarrandis ipsis veteribus libris exerceri, quam in minutis quibusdam eorum particulis aetatem puerilem conteri. Ex illis enim et res praeclarae, et latini sermonis structura et indoles, et continuandae orationis ratio et stilus et forma dicendi arripi potest: nihil horum in illis fragmentis a toto corpore avulsis, in quibus etiamsi quaedam bona dicta et sententiae sint, tamen nullo inter se nexu copulata facile memoria elabuntur. Tullius vero eius sive de coniungenda latinitate cum doctrina et eloquentia, declarat ille quidem ingens auctoris in evolvendis priscis scriptoribus studium, industriam incredibilem in colligendis; nec immerito Hamburgi in Germania recussus est: at vero a scopo suo longe mihi videtur aberrare. Quae enim latinae linguae castimonia ex innumeris omnium latinitatis aetatum auctoribus, bonis, malis, elegantibus, parum latinis, aut etiam inquinate loquentibus in unum in singulis Tullii libris confusis et cumulatis, praesertim a pueris qui quid distent aera lupinis ignorant, expectari potest? Quae vero aut eloquentia aut germana et solida eruditio ex tot disiectis scriptorum articulis, et membris undique decerptis, quae profecto non nisi multo sudore, multis vigiliis, totisque eorum scriptis evolvendis constare possunt? Quod si Chompreo homini gallo in hac palaestra exercitatissimo vitio datum est, quod in selectis latini sermonis ex-

emplaribus non integra scripta, sed excerpta, ita tamen ut fere iusti operis instar esse possent, collegerit; quid de Maiansii Tullio dicendum est, in quo veterum scripta ita frustratim in classes et libros discerpta sunt, ut minutissima solum membra non apta inter se sed dissecta exibeantur [1]? Quod vero ad gammaticam ipsius attinet id amicitiae dedit Finestresius, ut eam ab aliorum criminationibus praesertim, quod iustum institutionum et elementorum modum non servaret, quantum posset tueretur; qui tamen Cl. Ioannis Iriarte grammaticam, elegantissimum sane librum, ei praeferre non dubitavit: ut vero in usum scholarum deduceretur,

1 Ego vero, ut dicam quod sentio de oollectione veterum scriptorum ad orationis et eruditionis copiam comparandam adornanda, sic existimo: primum, opera auctorum tota exhibenda esse, non frustratim aut per lacinias. Deinde huiusmodi eorum habere delectum, ut geographiae, chronologiae, historiae priscorum populorum, sacrae, graecae, et romanae primas saltem liueas adumbrent. Id praestare possent Pomponius Mela, cum recentioris geographiae contentione: Severus Sulpicius ab erroribus chronologicis quibus scatet, ex eruditissimis Hieronimi a Prato adnotationibus emendatus: Iustinus ad verioris historiae fidem exactus: Cornelius Nepos, addita graecorum chronologia: Velleius Paterculus, cuius, quae desunt, suppleri possent ex Paulli editione: et ad iustae exemplar historiae, Sallustius &c. In his non exigua humanitatis pars continetur. Praeterea philosophiae non solum morum sed rerum etiam naturalium, et sanctioris alterius scientiam exhiberem seligendis non adeo multis Tullii et Senecae libris; quaestionibus naturalibus ipsius Senecae, et Tullii elegantissimo loco libri secundi de natura Deorum, cuius pauci errores, facile ex hodiernae physicae luminibus tollerentur: Cornelii Celsi quatuor primis libris, nam quintus et sextus formulas continent medicamentorum nullius nunc usus; septimus et octavus luculentam illi quidem chirurgicarum artium explicationem continent, sed minus huic instituto necessariam: Columella, Lactantio; aliquot elegantissimis Sanctorum Patrum epistolis &c. Omitto poëtas et oratores. Haec ita edenda essent, ut brevibus sed bonae frugis notis illustrarentur, atque ita ut seorsum aut coniuncta comparari possent. Verum his moribus, hac tanta festinatione studiorum optari ista possunt, sperari vix possunt. Alendis tamen primae adolescentium institutionis seminibus, etiam cum severioribus illi dant operam disciplinis, valde essent opportuna. Similem huiusmodi syllogem Sanctorum Patrum ad theologiae studiosorum institutionem edidit nuper doctus in Etruria theologus. Haec brevissime, quae multo enucleatius essent explicanda si ea nunc res ageretur.

quantum ex eius litteris coniectura assequi possum, parum omnino laboravit. Tametsi quem non deterreret grammatica institutio septem totis voluminibus comprehensa, quot vix optimorum scriptorum praedicta sylloge complecteretur? Et prudenter sane Iriarte a recitandis veterum exemplis, in quibus multus est Maiansius, fere abstinuit: ea nimirum ad auctorum praelectionem reiiciens. Multa etiam de emendandis iurisprudentiae studiis et inter ipsos missis ultro citroque litteris, et in academia cervariensi inter antecessores agitata sunt, quae quia vix, ac ne vix quidem exitum invenerunt, praetermittenda duximus. Praesertim quod exiguae fuerunt in his dissidiis Finestresii partes, qui cum videret tanto animorum aestu tantisque contentionibus rem agi, ut explicari facile non posset, ab tota hac tractatione prorsus abstinuit.

Inter has turbas in tranquillo coenobii populetani portu decessit Iacobus Finestresius, qui unus ex tribus Finestresii fratribus qui coenobiticam vitam amplexi fuerant, nam de aliis iam diximus, ad hoc usque tempus supererat. Erant hi Ignatius, Marianus, et Iacobus fratres virtute et sapientia vere germani. Fuit autem haec communis Finestresiorum, maxime Monachorum dos, vitae sanctitas, morum integritas, ardens sapientiae studium, laboris assiduitas, quibus cum egregia indole et ingenii docilitate coniuctis minime mirandum est si utilissimam monasteriis suis litterisque operam navarunt. Et quoniam toti Finestresiorum domui multa, multis nominibus musae debent, et quamdiu suus litteris constabit honos tamdiu eius immortalia in easdem merita memorabuntur, pauca saltem de singulis delibanda mihi videntur. Ac primum Ignatius Hieronimianae familiae in vallis Hebronis Monasterio adscriptus, chartophylacio, et bibliothecae praefectus praeclare de monasterio meritus est. Erant omnia propter bellorum et seditionum tumultus dissipata et confusa; ille incredibili labore et industria chartas omnes membranasque ordinate digessit, indices confecit tanta dexteritate, ut quotiescumque res postulasset nullo negotio repperiri possent. Quo factum est ut rei familiaris difficultates, litesque

impeditissimas, prolatis tabulis expediret. Eandem fere operam bibliothecae exhibuit. Ita post vitam sanctissime et fructuosissime actam, placide desiderio beatae immortalitatis accensus, mirantibus sociis monachis tantam in illo rerum discrimine animi alacritatem, e vivis excessit. Reliqui duo Marianus et Iacobus minimi ex septem fratribus natu, Iosephi vero non solum germani sed etiam ambo alumni fuerunt, quos ille post communis parentis obitum eduxit et instituit: Iacobi autem susceptor etiam in baptismo fuit Iosephus, ut ille hunc parentis loco, hic illum in filii carissimi numero non uno nomine haberet. Mira vero amborum fuit vitae institutorumque in plerisque consensio. Ambo in eodem ludo puerilem aetatem, primamque adolescentiam in bonarum litterarum studiis exegerunt; quo successu, quantaque cum laude dictum est supra. Ambo Maiansii condiscipulatu et amicitia floruerunt, quam caeptam a pueris nunquam non ille coluit non solum omni officio, sed etiam veneratione quadam et reverentia propter sanctissimos mores, ingeniique praestantiam prosequutus est. Quin et eodem anno MDCCXV. ambo in eodem populetano cisterciensium monasterio idem religiosae vitae institutum amplexi fuerunt. Quod ut fieri posset soluti legibus iis sunt, quae cavent ne duo fratres in eadem illius ordinis domo degant. Quae legis remissio, et eorum egregiae indoli data est et favori Francisci Ametleri avunculi, qui regius in Cataloniae senatu administer tunc erat, et multum gratia apud Regem poterat. In hoc novo vitae cursu uterque in oscensi ordinis cisterciensium collegio philosophiam et theologiam audivit, et tradidit, et quos maximos illa congregatio habet honorum gradus omnes in utrumque effudit. Exinde utriusque vitae institutorum facta sunt divortia. Alter negotiosam vitam sequutus est, alter otii litterati portum respexit; uterque in diverso instituto rem aeque publicam adiuvit. Marianus post praeclare gesta amplissima ordinis sui munera, ad supremum etiam abbatis magistratum multorum votis expetitus, et inter paucos propositus, tandem aldayensi oppido et ecclesiae in regno valentino praepositus est. Hanc amplissimam praefecturam toto reliquo vitae

tempore cum singulari prudentiae et pietatis opinione gessit. Ibi cum in vicinia habitaret Maiansius veterem cum eo consuetudinem renovavit, in cuius suavitate usque ad mortem, quam anno MDCCLVIIII. obiit, Marianus noster conquievit. Iacobus post decursos academicos et ordinis sui honores, ab omni remotus ambitione, solitudinis amore delectatus supremam etiam monasterii praefecturam sibi delatam a se modeste reiecit. Nec minus idcirco familiae commodis consuluit adfuitque temporibus. Ardebat inter duo eiusdem ordinis coenobia populetanum et sanctacrucianum de originis antiquitate et proedria lis et controversia, quae in romano XII. virum stlitibus iudicandis foro magnis contentionibus agitabatur. Iacobus causam totam, quo erat indefesso studio, et eruditione complexus animo, in origines utriusque coenobii diligenter inquisivit, et magnum confecit volumen quo monasterii sui iura tueretur. Sed sero et frustra; iam enim adversarii causam Romae obtinuerant. Cum autem Iacobus multa ad instruendam causam insignia historiae documenta investigasset, multa in adversariis collegisset, novum et multo operosius et laboriosius opus aggressus est. Nam et totum illud ingens volumen, resectis quae ad controversiam pertinebant, denuo refinxit; et non iam originem, sed totam monasterii complexus historiam, eam ad ultima tempora deduxit. Ita nata est historia regii monasterii populetani, eruditis dissertationibus, de eius antiquitate, et conditi ipsius tempore illustrata. Insigne opus et accuratissimum, in quo non solum res monasticae, et chronologiae abbatum, eorumque administrationis gesta in optima luce collocantur; sed multa etiam historiae catalaunicae, regum aragoniae, totiusque ordinis cisterciensis capita aut prorsus ignota e tenebris eruuntur, aut obscura nova luce donantur. Nihil in ea non ad severissimam veritatis et criticae artis normam exactum; omnia documentis nunquam antea editis roborata, etiam retrusa quaeque sagaci indagine vestigata, et in medium protracta. Maiansius ipse cum fratre Ioanne Antonio, quibus nemo in nostris historiis eruditior, nemo oculatior, tantum Iacobo nostro tribuebat, ut eius in

rebus consilium non semel exquireret, etiam cum de gentibus Maiansia et Siscaria ageretur, quae ortae ex Catalonia sedem multis ante saeculis Valentiae constituerant. Quin et eandem historiam dignam existimavit quam Meermannis Seckendorfiis aliisque doctissimis viris impartiret transmitteretque. Decessit Populeti quinto kalendas novembris tres et septuaginta annos natus. Eius morte caruit Iosephus non solum fratre amantissimo et ex ecclesiae institutis paene filio, sed et socio studiorum suorum. Quoties enim Populetum visendi fratris causa adibat, novam semper legendi et addiscendi occasionem inde captabat. Scribit ipse, se anno MDCCLI. post impetratam honestam studiorum missionem, cum duos circiter menses Populeti divertisset, magna cum voluptate plures legisse libros, quorum alias copiam nunquam nactus fuerat. Erant in monasterio binae bibliothecae; vetus alia quam novis quotidie comparandis libris locupletabant; alia quam Petrus Aragonius Pro-rex Neapolitanus, dono Neapoli miserat, in qua praeter complura selecta volumina elegantissime compacta non pauci erant veterum scriptorum codices manu exarati. In hoc musarum domicilio habitabat ille ut novas semper sapientiae opes colligeret. Memini me cum Populetum visendi monasterii causa accessissem, Iacobo fratri a Iosepho commendatum, binarum bibliothecarum fora cum Iacobo lustrasse. Inter lustrandum mirabar equidem tantam tot optimorum voluminum vim, sed multo mihi magis admirationi erat mystagogus meus senex septuagenarius, cum tantam in eo librorum illorum non levem illam et fucatam, sed interiorem cognitionem, cumque iudicium quod de libris rebusque ferret gravissimum animadverterem. Sed ut ad Iosephum nostrum redeamus; cum anno MDCCLVI. rursus ibidem diverteret, non solum animum legendis, sed et comparandis libris penum suam librariam ditavit. Eorum enim operum quorum bina aut eo plura inerant exempla venalia prostrabant. Ac tum quidem praeter egregios scriptores alios, complura emit Sanctorum Patrum praeclara volumina. In quibus ipse Iustinum Eusebii opera, et historiam, ceterorumque historiae ecclesiasticae scrip-

torum , Basilium , Gregorium , Ambrosium , Hieronimum aliosque recenset , ut Iosephum aliosque praesertim historiographos praetermittam. Atque ita vir fere septuagenarius ne novae quidem huius eruditionis et sapientiae , qua hactenus ut fatetur ipse caruerat, expers esse voluit; illa enim patrum volumina , ut ipse scribit, quantum aetas ingravescens et valetudo sinebat , studiose et libenter vel tunc maxime evolvebat. Nimirum ille nullum sibi elabi tempus patiebatur quo non ardens quo aestuabat sapientiae desiderium expleret, et ipsum remissionis animi tempus, oblatam sibi illius excolendi opportunitatem arbitrabatur. Solemne illi erat autumnalibus feriis rusticandi causa postremis vitae suae annis Montefalconem oppidum novem ferme Cervaria milliariis distans secedere. Secessus vero ille non tam rusticatio erat , quam aut Tullii Tusculanum aliquod , aut Cumanum Varronis , quibus in locis elégantissimae eruditissimorum virorum disputationes habitae sunt. Erat ecclesiae illius curio Andreas Comes , quem domi suae dum ille academiam frequentabat amici et familiaris loco semper habuit , quemque propter excellens ingenium et incredibilem in studiis assiduitatem unice dilexit. Qualis vero quantusque vir ille sit , quantique illum fecerit Finestresius , apparet ex litteris Cervaria ad Maiansium datis occasione repulsae quam tulit in petitione sacerdotii ex collegio canonicorum coelsonensi ; cum una voce ab omnibus designaretur, omnesque competitores omnium sententia longe superasset. In quo catonianum illud usurpare iure poterat, malle se mirari homines quod Cato creatus non sit quam quod creatus sit consul ; aut quod ille de Lelio ait , nimirum non tam Lelium a populo , quam populum a Lelio repulsam in consulatu tulisse. De hac tota re ad Maiansium scribens id. septembris ànni MDCCLXVI. ita de illius doctrina loquitur , ut nihil addi posse videatur ; illum enim in omni litterarum genere versatissimum , egregia indole , ingenio acutissimo , memoria firmissima praeditum scribit : latine , ait idem , graece, hebraice perbene scit. Rhetor , poëta , philosophus , ita ut quatuordecim ante annis , in petitionibus adolescens veteranos ipsos anteiret.

In universa quanta est theologia excellit, praesertim in ea parte quam exegeticam appellant. Praeterea legum et canonum prudentiae, conciliorum, et eruditionis ecclesiasticae et profanae peritissimus est [1]. Hactenus ille. Quam vero nihil affectui in iudicando tribuerit, cum nihil causae esset cur eum supra modum extolleret, et id ipsum familiariter ad amicum quasi ad aurem insusurret, nemo non videt. Agnoscent vero incorrupti huius iudicii veritatem qui mecum testes fuerint, et vehementissimi ipsius ad omnes disciplinas impetus, et herculei in optimis libris noctur-

1 Finestresius litteris ad Maiansium id. septembris anni 1766. „El Doctor „Andres Comes sugeto habilísimo en todo genero de literatura habiendo sido pre- „ferido á todos sus coopositores en la peticion del canonicato lectoral, nuevamente „erigido en Solsona, casi por comun aclamacion, y firmada la gracia á su favor „por el Rey, le bolaron la canongía, lo que ha causado gran confusion en aquel ca- „bildo::: El Doctor Comes á quien yo estimo sumamente por su bondad y lite- „ratura, tiene un genio sutilísimo, memoria fidelísima, sabe bien de latin, rheto- „rica, poesía, griego, filosofía, en que ha catorce años leyó de oposicion, adelan- „tandose á los veteranos. En la teología es sobresaliente en todas sus partes, y sin- „gularmente en la expositiva. A mas de esto es muy hábil en leyes, canones, con- „cilios, y erudicion eclesiastica y profana, y con todo este complexo ha queda- „do sin el canonicato." Haec totidem verbis referenda duxi.

Opera quae hactenus in publicum emisit sunt:

Sacramentorum administrandorum, et quarumdam benedictionum faciendarum ritus ad accommodatiorem parochorum dioecesis Urgellensis usum ex libris ritualibus eiusdem ecclesiae et dioecesis decerpti, auctoritate et iussu illustrissimi domini D. Francisci Antonii a Dueña, et Cisneros, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia episcopi Urgellensis, supremi vallium Andorrae principis, equitis regalis singularisque ordinis hispani Caroli III. regiique consiliarii cet. Typis editi Cervariae Lacetanorum typis academicis.

Breu resumen de la doctrina christiana per lo us, y ensenyansa uniforme del bisbát de Urgell, publicát per lo Illustrissim Senyor Don Francisco Antoni de la Dueña, y de Cisneros, bisbe de Urgell. Cervera: en la imprenta de la real, y pontificia universitat. Any 1799.

Sylloge constitutionum in recentioribus synodis urgellensibus editarum, illustrissimi, ac reverendissimi D. D. Francisci Antonii a Dueña, et de Cisneros, Episcopi Urgellensis iussu concinnata. Typis excussa Cervariae Lacetanorum: typis academicis.

na diurnaque manu versandis laboris, et mentis ad scientias capessendas docilissimae. Quae vero disputationes essent, quam eruditae, quam elegantes, inter viros qui omnium liberalium doctrinarum orbem complexi videntur, facile quisque diiudicare potest. Ita fiebat, ut etiam cum feriari vellet Finestresius, tum maxime animo excolendo operam daret.

Sed iam, ut totus quantus fuit Finestresius porro appareat, quaedam in universum de studiorum suorum et vitae rationibus videntur commemoranda. Ac primum quidem, quod ad librorum lectionem attinet, in adolescentia quam avide omnes, in quos inciderat, voraret magis, aut degustaret, quam in succum et sanguinem converteret, supra narravimus. Agnovit ipse hanc levitatem suam, et deinceps nemo maiorem in volvendis libris adhibuit diligentiam. Huius rei complura extant testimonia et documenta. Habebat ille corpus iuris civilis maxima forma, amplis marginibus. In oris horum voluminum, ad singulas leges optimos quosque earum interpretes incredibili diligentia adnotaverat. Hinc illa tam late diffusa iurisprudentiae, prudentumque iuris eruditio, quam tanto est opere miratus Maiansius, quamque paene modum excedere visum est Meermanno; non illa quidem sine delectu, qualis esse solet in pragmaticis iureconsultis, sed ad trutinam diligentissime revocata. Cum Samuelis Petiti praeclarum de legibus atticis opus saepe ei in partes vocandum esset, indicem, quo carebat, ipse singulari industria, et tanta diligentia confecit, ut illum ad loca quaevis, etiam magis invia, quasi manu duceret, et digitum in ea intenderet. Quem quidem indicem, una cum egregio opere, recudi, pretium esset operae non vulgaris. Sed quanta esset in evolvendis libris diligentia, id maxime argumento est, quod orae voluminum, quae versabat, plenae sunt observationibus valde eruditis, in quibus et errores detegit scriptorum, et ea quae deerant suplet, et de re eadem alios scriptores laudat, et loca parum accurate laudata emendat, et alia observat, quae incredibilem ipsius in pervolutandis libris ostendunt diligentiam. Hinc factum est, ut omnia in numerato

haberet, et de quaestionibus gravissimis, vel coram, aut per litteras, interrogatus, illico quaesitis responderet, et nullo negotio ea, quae rem conficerent, in auctoribus reperiret. Huiusce rei luculentum habemus apud clarissimum Raymundum Guavium testimonium [1]: „ Vix unquam ' ait ' contigisse memini, ut ad id quod rogaretur, vel „ utique libri locum, ubi reperiendum esset, minus responderit. Atque „ hoc equidem non in civili tantum iurisprudentia, sed in canonica „ etiam; neque in eunomia modo, sed in philosophia, et theologia, in „ mathematicis disciplinis, in historia, veteribusque romanorum et re- „ liquarum gentium antiquitatibus. " Haec ille quae vidit testatur. Hanc vero anxiam in legendo curam senex non parum remisit, cum legendis libris id fere spectaret, ne intervalla otii sine fructu elaberentur, et novis semper rebus addiscendis Solonis ritu consenesceret.

Quod vero ad privatae ipsius vitae mores, et instituta pertinet, in eo videre erat christiani philosophi imaginem lineamentis omnibus expressam. Militiae ille quidem ecclesiasticae adscriptus fuit. Tenuissimi beneficii nomine, vix auri sescunciam annui redditus percipiebat, quod tamen retinuit non compendio illectus, cum novem pinguia et ampla sacerdotia, quae canonicatus vocant, relecisset, sed ecclesiastici illius muneris sanctitate et reverentia inductus. Quod magis mirum est, cum onus simul subiisset homo tot negotiis districtus, temporis, si quis alius, avarus, diurnarum precum persolvendarum; quod ipse in quadam epistola, iam ab anno elapsi saeculi tricessimo, inter eas occupationes, quae multum tempus, studiis suis ablatum, sibi sumerent, recenset. Et tamen pensi huius quotidiani officio summa semper cum animi religione perfunctus est. Ille tamen in primo clericalis ordinis gradu stetit, nec promoveri ad altiores, sanctitate et veneratione tanti muneris deterritus, unquam animum induxit. Quod si Missae sacrificium offerre non poterat, eidem tamen singulis diebus intererat. Illud etiam animi religiosi indicium est, quod, cum in rebus theologicis hospes non esset, nunquam tamen in huiusmodi quaestionibus ius sibi suffragii ar-

1 In censura commentar. Finestres. ad tit. pandect. *de lib. et post.* praemisa.

rogabat, et cum sermo de his incideret in ore habere solitus erat Cuiacii illud, qui cum rogaretur quid de intestinis in Gallia de relligione dissensionibus sentiret respondere solitus erat: *nihil hoc ad edictum praetoris*, quod ipsum libenter Finestresius Cuiacius alter usurpabat. Licebat illi per ecclesiasticos, qui hanc curam habent, magistratus libros improbatae doctrinae et vetitos legere et retinere. Ea facultate tam caute, tam parce usus est ut impiorum sophistarum hodiernorum libros ne attigerit quidem unquam, solos ad ius utrumque et ad humaniores litteras spectantes pervolveret, in quibus obiter tantum quaedam fidei catholicae dissentanea reperiuntur. In Heineccio ipso, cuius opera ius illustrantia tam sedulo evolverat, exercitationem illam de iureconsultis reformationi ecclesiae praeludentibus, in qua multa contra romanam ecclesiam effutit, ne percurrerat quidem. Cum vero legentem eam audiret Dovium; tunc semel, ait idem Dovius, stomachantem vidi Finestresium adversus impias chartas, quae relligiosissimi viri animum perculerant. Quae quidem apud Dovium fusius [1], ea enarrantem legi facile possunt. Quo magis miranda est adolescentulorum quorundam temeritas, qui a rebus omnibus imparati, litteris leviter tincti, nulla divinarum rerum cognitione, nulla morum gravitate et constantia impias novorum, si superis placet, philosophorum disputationes cupidissime arripiunt, perleguntque. Finestresius cum librorum helluo, si quis alius esset, tamen ab huiusmodi cibis impietatis veneno turgidis abstinendum sibi arbitrabatur. Atque nemo magis a futilibus historiolis, et anilibus superstitionibus abhorruit; legendis vero et diu noctuque versandis sanctorum patrum gravissimorumque scriptorum voluminibus vehementer in aetatis flexu delectabatur, iisque senectutem suam suavissime fructuosissimeque oblectabat. Sed nulla in re sincera ipsius pietas quam in familiaribus litteris aeque existit et emicat. Legi quae crebro totos quinquaginta annos inter Maiansium et Finestresium ultro citroque commeabant litteras. Quanta in illis apparet in Deum relligio, quam in rebus adversis divi-

1 Vide Orat. pag. 58.

nae voluntati devotus animus; quanta in consanguineorum necessariorumque morte in Dei bonitate fiducia! ut saepe in suscipiendis etiam litterariis laboribus coelestium bonorum largitorem Deum publicamque utilitatem unice respiciunt! Cum animum ad ista adverto taedet me istorum hodiernorum leguleiorum et quadruplatorum, qui nulla in re cum summis hisce iureconsultis comparandi tantam nihilominus sibi in rebus ad relligionem pertinentibus licentiam assumunt tam pravos errores pudendosque consectantur. A qua licentia quam longissime abesse debent inprimis maiansiani et finestresiani nominis heredes et efficere ut hanc avitae hereditatis partem non solum cernant adeantque, sed integram inviolatamque conservent; ad quos enim eorum gloriae hereditas, et recte factorum imitatio pertinet. Ex hac in Deum relligione inerat imperturbata illa animi vultusque tranquillitas. Nullum ille, non dicam irae, sed ne gestienti quidem et insolentius se efferenti laetitiae, nec moerori animum deiicienti, nec pavori mentem de gradu deturbanti, nec reliquis huiusmodi animi aegritudinibus morbisque locum dabat. Testatur Dovius se totos quatuordecim annos eius convictu usum esse: toto hoc eum tempore semper eodem vultu, eadem animi aequabilitate aspexisse. Quadriennium cum eo quotidiana fere consuetudine usus idem admirans animadverti. Iratum vero aut excandescentem, neque Dovius, ut ipse ait, neque quisquam alius credo vidit. Omnino ut sapientem illum quem veteres philosophi comminiscebantur, quique nullis animi perturbationibus concuteretur, in se ipso exprimeret. Immo potius a divino magistro didiscerat mansuetudine et cordis humilitate quietem animi possidere. Amicitias coluit non ambitiosas, nec tam late diffusas quam Maiansius, sed fidas, stabiles atque constantes, quarum plures cum multis memorauimus, cum nemine vero arctius et familiarius quam cum tribus Doviis et Maiansio. His quatuor viris accessit ineunte senectute Andreae Comitis amicitia, quae veteribus neque animorum coniunctione, neque officiorum vicissitudine ulla ex parte concessit: quo quidem sibi in dis-

pari aetate, neque modestia neque morum et consuetudinis suavitate, neque eruditione, neque in universo fere scientiarum orbe ullum invenire potuit parem. Nullas unquam inimicitias, ac ne simultates quidem cum ullo suscepit, ab ulciscendi libidine procul abfuit, nec laesus referebat iniuriam. Delatus falso et clanculum ad senatum regium, quasi minus ample de eius in academiam auctoritate sentiret et loqueretur, cum calumniae auctorem rescisset, nec cum eo expostulavit, et cum per idem tempus oblata illi esset occasio de eo bene merendi, eandem, ut ad Dovium narrat, avide arripuit. A maledicendi cupiditate alienissimus, quod magis mirandum est, etiam in sermonibus quotidianis altercationibus et iurgiis aditum silentio occludebat. Expertus sexcenties loquor. Si quis ab eo dissentiret, breviter et modeste sententiam suam confirmabat, quod si contra quis diceret ubi vera aut similiora vero quae dicerentur, illi videbantur, ultro aliorum opinioni accedebat; secus nullum ultra verbum reponebat, nec contentionis funem ducebat ulterius; in sententia vero non persuasus permanebat. Nihil igitur mirum hac animi moderatione in offensiones hominum non incurrisse, vereque Maiansium affirmare potuisse inter litteratos viros et scriptores unum esse Finestresium, qui nullum inimicum, aut obtrectatorem haberet, vereque ab eo, cum iam morti esset proximus, dictum esse, non meminisse quemquam a sese laesum, aut inimicitias exercuisse, aut esse quocum in gratiam redire deberet. Atque haec omnia quasi ex fonte ab illa proficiscebantur animi persuasione qua de se rebusque suis demississime modestissimeque sentiebat. De qua modestia et dicta sunt multa, et multo plura dicenda superessent, sed modum tenere oportet. Ea in scriptis, dictis factisque eius omnibus mirum quantum apparet. In refellendis aliorum opinionibus neminem contumeliosius appellat, quantum potest etiam cum honoris praefatione dimittit; in proponendis vero suis, cum omnia per omnes partes doctissime subtilissimeque versavit, suspenso tamen pede timide et pedetentim incedit, nec unquam decretorio illo stilo utitur, qui non ratione sed vi, causam extorquere

contendit. Nec pudet illum fateri nescire quae nescit, dubia in medio relinquere, cum res non liquet solemne illud *ampliandum esse* pronuntiare: alienissimus omnino a novorum sophistarum arrogantia, qui nihil tam verentur quam ne dubitare de aliqua re videantur; quique cum in pudendos errores, omitto iuris, sed facti manifestarii, quos saepe non sine indignatione legi, crebro praecipitent, confidentissime et superbissimo fastidio eos venditant, et tanquam oracula ex tripode effundunt: secum sapientiam descendisse de coelo, reliquos tanquam umbras volitare elato supercilio iactant. Finestresius cum ipsi professores et viri doctissimi faces submitterent, se multum ex eius libris profecisse prae se ferrent et tanquam magistrum vererentur; cum Maiansius eum et suum et totius Hispaniae doctorem unicum praedicaret, ipse id solum sibi sumit ut adolescentibus modo, qui primum e limine iurisprudentiam et litteras salutant facem aliquam ad adeunda penetralia praeferre possit. Id in scriptis suis profitetur, et saepissime iterat, nihil tam veritus quam ut doctos iam viros docere velle videatur. Id ipsum crebro sermonibus usurpabat, audivique ipse id ipsum tanto candore, tanta animi inductione proferentem, ut appareret et illud sibi bona fide persuasisse, et aliis velle persuadere. Nimirum laudes quas alii plena in ipsum manu conferebant unus ipse adduci non poterat veras esse ut crederet. Hinc nihil frequentius in litteris ad Maiansium occurrit quam enixae preces, quibus eum obtestatur, ut a laudibus eius abstineat: se litteras ad eum latine dare desiisse, ne eas ederet, et inde laudandi sui ansam arriperet: dolere, sibi ab ipso tribui eam a qua longe abest doctrinam: erubescere magnopere ad laudes in eum collatas suis adeo impares meritis; angi vehementer cum videat Maiansium multam idcirco de existimatione sua iacturam facere apud eos qui se suaque norint [1].

1 Non potui ipse vim veritatemque quemadmodum in ipsius verbis emicat exprimere. En igitur Finestressi verba, cum Maiansius in vita Nicolai Antonii ad censuram historiae commentitiae de ipso cum laude meminisset: „Es obra ex- „celente ' ait. ' Todo me agrada sumamente excepto la memoria, que Vm. hace „de

Infinitus essem, si singula persequi vellem; unum autem praetermittere non possum, quo nihil illustrius fieri potest ad inexpugnabilem Finestresii sinceram sine fuco et fallaciis modestiam testificandam. Ioannes Christophorus Strodtmannus, academiae osnabrugensi praepositus, vitas virorum litteris et doctrina illustrium, etiam tum viventium, describere instituerat; quod institutum Bruckerus sequutus paullo ante iam fuerat. Is Maiansii vitam in lucem emiserat, petieratque ab eo, ut commentaria, ad Finestresii vitam pariter edendam, mitteret. Obsecrat igitur amicum ut capita queadam vitae suae, et scriptorum suorum conficiat, reliqua sibi curae fore: nullam in eo inanis gloriae notam, multa autem commoda, ut ipsius scripta in manus multorum perveniant, atque ita prodesse possint.. Negavit enimvero Finestresius, id se unquam aut facturum, aut pati posse, adeo praecise et praefracte, ut cum amico, quasi de iniuria sibi illata, expostulare videatur. Nihil cohortatio, nihil gloriae cupido, nihil lucri quod ostendebatur spes, cum vendibiliora et celebriora futura essent ipsius opera, eius animum movere potuerunt. Quinimo tibi, inquit, persuadeas velim, etiamsi in discrimen omnium rerum venire me oporteret, nullius quotquot sunt hominum rogatu id me facturum: neque intelligere omnino possum, quid de me commemorare possem, quod scire publicae rei intersit, [1]. Maiansius

„de mi en la vida de aquel varon incomparable, atribuyendome habilidad „que no tengo. Creame Vm., que me averguenzo de semejantes encomios, que „por ellos pierda Vm. para con todos los que bien me conocen el concepto de justo „censor.“ Sexcenta huiusmodi describere possem, sed fastidio occurrere oportet.

1 Audiamus iterum Finestresii ipsius verba, quae, nescio quo pacto, animum vehementius afficiunt. Maiansius VI. kal. iunii scribit: „Strodtmann ::: escrivió mi „vida ::: Me pide la de Vm. y es razon contentarle. Asi estimarè, que Vm. me ha„ga un breve apuntamiento tocante á su persona, estudio, escritos, y empleos, „que bien puede hacerse sin nota de vanidad, habiendo de ser yo quien lo em„bie, y conduciendo esto paraque sus obras tengan despacho, y aprovechen ::: „No dexe Vm. de favorecerme en esto.“ Ad haec Finestresius lit. XIV. kal. iunii: „Siento ʾinquitʾ no poder dar gusto á Vm. embiandole el apuntamiento „que me pide de mi vida para remitirlo al escritor osnabrugense. Quede Vm.

„per-

igitur amici pudori concedere coactus est, ulterius rem urgere non ausus. Hinc etiam non poterat non mirari, cum docti et illustres viri se, quasi visendi hominis doctissimi caussa, per Cervariam praetereuntes, adibant. Unius commemoratione defungar, in quo, non modo quam ab omni arrogantia, sed etiam ab omni ambitione alienus esset, ostendit. Marchio Roda Roma Matritum pergebat, ut administri regii in tribuendis ex aequitate gratificandisque honoribus munus gereret. Cum iter per Cervariam faceret, ardens desiderio cognoscendi de facie hominem, quem fama et scriptorum celebritate cognorat, illico e diversorio recta ad Finestresium; non sustinens hanc occasionem praetermittere salutandi hominis, fama, suis meritis virtutibusque quaesita, notissimi. Iste vero mirari, quid eum huiusmodi cupido incesserit; egregiam vero, inquit, rem visendam adveneris, dignam scilicet curiosis hominum delicatorum oculis, et pro qua quis vadimonium velit deserere: se tamen officium grato, ut oportet, animo prosequi. Ille vero ipsius pudore minime deterritus, diu multumque cum illo de rebus gravissimis colloquutus, magna cum ipsius virtutis et doctrinae opinione discessit, quin aut quis esset ostenderet, aut Finestresius deprehendere potuisset. Post discessum vero admonitus a familiari quodam suo, administri regii salutatione et alloquio honestatum fuisse, nihil idcirco commotior, satis habuit, ne officio prorsum deeset, eundem ad hospitem resalutatum allegare. Cumque Roda multa de laudibus ipsius praedicaret, et erudito Finestresii colloquio fruitum se esse, gloriaretur, ut testis est Maiansius, qui Matriti multum apud illum valebat, cumque summa omnia, et maximos honores ab eo exspectare Finestresius potuisset, tamen non solum nihil ab eo postulavit, sed etiam ultro oblata recusavit.

„persuadido, que, aunque expusiese quanto tengo, no lo haria por ninguno del „mundo. Por otra parte no sé considerar, que podria decir de mi, que importe al „publico saberse. Vm. perdone y mandeme cosas de otra especie." Ille vero postridie nonas iulii rescribens: „La respuesta ' ait ' que Vm. me dà es la misma que yo „temia. No se puede pelear con la modestia de Vm. porque es invencible. No „me atrevo á pelear con Vm."

Vixit in honestissimo et continentissimo coelibatu. Satis commode, sed non sumptuose habitabat. Familia ad luxum et pompam admodum exigua, ad domesticos usus quantum satis homini praesertim, qui famulorum ministerio parce utebatur, nec sibi ipsi in plerisque ancillari dedignabatur. Magna erat in famulos indulgentia, non socordia, sed bonitate naturae. Igitur eum et ut herum reverebantur, et paene loco patris diligebant, ab eoque vicissim diligebantur. Et iure quidem. Erant illi fere auditores a re familiari parum copiosi, qui ad optimas capessendas disciplinas Cervariam adierant. Horum ille in litteras progressus omni ope fovebat, nec sine insigni fructu et successu. Multi enim etiam nunc egregiam ecclesiae et reipublicae navant operam, qui memores quantum ipsi debeant, illius adversus se praedicare non desinunt beneficentiam. Nuper vir doctus, qui in frequenti oppido medicinam cum plausu facit, multa mihi de veteris heri erga se et patruum suum indulgentia et beneficiis narrabat, quam lente ferret si quid oscitantia, aut inertia peccatum esset, quanta lenitate corrigeret, quantum utrosque consilio, quantum ope in academico litterarum curriculo adiuverit: quarum omnium rerum multa ille mihi documenta non sine gratissimi animi et teneri amoris significatione commemorabat. Ut familia sic cetera domi ad continentiam et modestiam comparata, nihil in ea magni pretii, ac ne valde quidem lautum aut elegans more delicatulorum istorum, qui iam omni mundo muliebri instructi sunt. Nihil tamen illiberale, nihil sordidum praeter eruditum et non indecorum librorum pulverem, quo ipsum saepe videre erat aspersum. Atque hanc quidem domesticae supellectilis partem praecipua cura instruxerat, et quantum alii in gynecaeis in penu, et in abacis ornandis sumptum faciunt, tantum ille in locupletanda penu sua libraria impendebat. De marchione Ioanne Polenio doctissimo patavini gymnasii professore memini me legere apud Ioannem Baptistam Robertium societatis Iesu ipsius necessarium et elegantissimi ingenii virum, solitum esse illum dicere, facile pati se in reliqua supellectile ab aliis eiusdem ordinis nobilibus

hominibus superari; libraria vero prae ceteris uti se locupletiori gloriari. Nec immerito: polenianam ego bibliothecam, quam vir eximius sanctae Iustinae caenobio ordinis sancti Benedicti legaverat, diligenter lustravi, et quanta cura, quanto delectu eam optimis libris praesertim mathematicarum artium, quas profitebatur, instruxisset, et accepi, et ipse oculis usurpavi. Hanc eandem diligentiam Finestresius in ornanda optimis iurisprudentiae voluminibus bibliotheca adhibuit. Atque in hac etiam ipsa re ab eorum uterque vitio ac Βιβλιομανια longe abfuit, qui quos ipsi libros nec legunt ac ne quidem intelligunt ingentibus parant impensis. Finestresius haec etiam, ut reliquum domesticum apparatum, ad usum non ad luxum fastumque referebat. Qua erat in aliis rebus frugalitate eadem in vestitu fuit. Utebatur semper pulla et ad talos demissa veste, quamquam clero prima tantum tonsura adscriptus. Nihil vero toto corporis habitu et cultu exquisitum, nihil pretiosum, nihil rursus agreste aut inhumanum; non cincinni, non unguento, nec alio quam litterato librorum pulvere caput eius conspersum quisquam aspexit: omnia ad simplicitatem et decorem composita, et exacta. Hac tanta animi moderatione minime mirandum est nunquam ipsum pecuniae cupidum fuisse, totque amplissimas ultro etiam oblatas occasiones augendae una cum dignitate rei familiaris constantissime repudiasse. Nimirum ingentes ille reputabat verasque divitias animi appetiones in arctum cogere paucisque rebus et parabilibus, quas natura desiderat, contentum esse, neque pro honorum sollicitudinibus animum cruciantibus, beatam in litterato et fructuoso otio cum virtute vitam bene pacisci. Quin hac ipsa honorum despectione dignitatem suam non solum non minuit sed amplificavit. Cum enim domus eius ab exteris et civibus celebrabatur, in domo Finestresii, nihil nisi Finestresium, in qua praeter ipsum nihil magnificum erat, aut spectandum, requirebant. Quam diversus a copioso illo et ut ipsi videbatur beatissimo, qui domum suam magnificentissimo apparatu luxuque nullis ipse ornatus virtutibus exornavit: cum vero Diogenes ad eam contemplandam vo-

catus esset, domini faciem cynica petulantia inquinavit excusans se foediorem in tota domo locum reperire non potuisse. Quam vero cibi ceterarumque huiusmodi voluptatum parcus fuerit, id modo dicam cum Douio, qui undecim annos eius contubernio usus est (neque enim quidquam aut maiori gravitate aut disertius ipsis fere Tullii in Catone verbis dici potest). „De temperantia" inquit academicum senatum alloquens" et frugalitate vix est necesse dicere, „cum eundem tam bene valentem in nonagessimo anno videritis. „Libidinosa adolescentia effoetum, temperans autem sanum et in„tegrum tradit corpus senectuti, quale in Finestresio hoc eodem „anno fuisse vidimus. Qui color in vultu! quam firma oculorum „acies! quam, cum a puero minus acutam semper habuisset, ta„men ita conservavit ut nunquam in legendo vitri aliquo adiumento „fuerit usus: quae sanitas in membris et in mente fuit! quae „dignitas in toto corpore! Hi sunt fructus domitae in adolescen„tia libidinis; haec sunt praemia frugalitatis, quae in eo tanta „fuit ut cibo et potione nunquam ad opprimendas vires, sed ad „reficiendas usus fuerit," Haec ille. Nimirum quemadmodum passim videmus propter infrenes multorum libidines senes, ut ille aiebat, viginti quinque aut triginta annorum; sic coercitae mature a Finestresio cupiditates eius paene adolescentiam ad nonagessimum annum perduxerunt. Huic in omni victu temperantiae accedebat aliud non minus potens conservandae saluti pharmacum, praetermittendis scilicet voluptatibus animi stabilitas et constantia, quibus duobus medicamentis nullum ars medicinae praestantius invenit. Finestresius eodem semper erat animo in omnibus sive valetudinis sive adversae fortunae casibus, quodque difficilius et maius est, nunquam aut laudibus aut prosperitate sese iactavit elatius. Quatuor sororum germanarum, sex fratrum mortem partim ipse vidit, partim accepit siccis oculis, quin ulla animi perturbatione commoveretur. Neque vero id stupore mentis, aut quod affectionis naturalis expers esset, quod inter gentium vitia recenset Paullus; nemo enim maiori caritate in consanguineos fuit, sed quod chri-

stiana spe, propter eorum sanctissime actam vitam eodem Paullo monente sustentabatur. Cuius suae fiduciae et pii sensus multa extant in litteris suis documenta. His scilicet artibus, his remediis usus ad longaevam nonaginta annorum senectutem eo corporis robore pervenit, ut nisi casu quodam afflictus fuisset multos adhuc annos superesse potuisset, ut etiam in tam longa aetate, mors eius immatura accidisse videretur. De qua dicendum modo superest, ut postremum hunc vitae suae actum reliquae fuisse consentaneum appareat [1].

1 De Finestresii morte legenda omnino est Andreae Comitis schedula: „ Razon „ de la enfermedad y muerte de Don Joseph Finestres &c. El dia 31. de octubre' ait' vispera de la fiesta de Todos-Santos, salimos ambos con una silla volante „ de Agramunt, y nos fuimos á comer en Castellblanch. Despues de haber comido „ empezó á ponerse el cielo nublado, y el tiempo llovedizo. Queria yo marcharme „ para las funciones de mi parroquia, diciendo que el dia siguiente volveria á bus„ carle. No quizo acceptar. Pareció levantarse algun tanto el tiempo, y me instó „ á que marchasemos sin esperar mas. Tuve que condescender y nos fuimos. Se „ puso otra vez á llover, y aunque poca el agua que caia nos cogió en el camino „ y nos incomodaba los pies, y el viento humedo se entraba por la silla, y nos „ era molesto y dañoso. Llegamos á casa, y viendole que tiritaba de frio y es„ taba mal arropado con la ropa de verano y en aquella fria y humeda estacion, „ hize que se calentase bien en la cocina, y que se fuesse á la cama. El dia „ siguiente que era el de Todos-Santos, no se levantó por haberle entrado ca„ lentura, la que se aumentó hasta llegarle á trastornar la cabeza. Sudó y se „ compuso mucho, no habiendole quedado mas que un señal de calentura; y con „ efecto volvió á levantarse. Se determinó sangrarle para su restabiecimiento per„ fecto; mas con una indecible repugnancia de su parte. El efecto de la prime„ ra sangria fue cortarle el sudor, ò alomenos el mador que le componia, y por „ consiguiente cargarsele el pecho, y agravarle la respiracion. Las siguientes „ sangrias hicieron el mismo efecto con mas prontitud y eficacia. Su paciencia „ en todo el tiempo de su enfermedad fue mucha. De ninguna cosa se quexó; y no „ se resistió á cosa alguna mas que á las sangrias, y recetas de los medicos. „ Veia que la dieta, la quietud del la cama y el sudor le habian compuesto: y „ así no queria en manera alguna remedios expuestos á las contingencias, y tan„ teos que matan. La serenidad de un espiritu inperturbable que le acompañò en „ toda su vida no le dejó en aquellos fatales momentos. Segun las ocasiones sa„ lian igualmente de su boca arroyos de literatura seria, que relaciones y cuen„ tos de conversacion jocosa: No queria hacer testamento en manera alguna, re-

Rusticandi caussa de more ad familiarissimum suavissimumque amicum Andream Comitem se contulerat. Pridie kalendas novembris Agromonte Montefalconem profecti sunt pluvio et frigido coelo, non sine ingenti utriusque, sed Finestresii praesertim incommodo. Ubi domum rediere, cum cohorruisset, haud multo post febri correptus fuit, qua cum somno et sudore relevatus videretur, incommode factum est, ut sanguis ab eo invito, et contra, nec immerito, ut nimium eventus ostendit, sentiente, non semel tantum

„resistiendose á todas replicas y persuasiones. Yo le hallé siempre muy docil, y „flexìble; y en pocas palabras le dexé persuadido, y me pidió que yo mismo le „dispusiese el testamento, como conociese se debia de hacer. Lo executé; y leido, lo ratificó con su postrera aprobacion, y voluntad. Recibió todos los santos sacramentos, y el del sagrado Viatico con particular devocion y ternura. „Antes que el ministro pase á dar el cuerpo de Jesu-Christo á los enfermos „en una exhortacion preparatoria que les hace, segun nuestros rituales, les pregunta, si creen en todo lo que les manda creer la iglesia, singularmente en „la real presencia de Jesu-Christo en el sacramento del altar? A esta pregunta en lugar de la comun respuesta *Si pare*, empezó á hacer una profesion de „la fe, recorriendo de misterio á misterio muy devota y de mucha edificacion „nada premeditada, sino solo como la sacaba la devocion, y esfuerzo de aquella hora. Viendo que se fatigaba tube que cortarle el habla, diciendo al ministro que pasase adelante. En otra exhortacion en que se pregunta al enfermo si perdona á sus enemigos, y pide perdon á los que él haya ofendido? „respondió tambien con mucha ternura que no pensaba tener enemigo alguno, y „que si lo tenia, de ninguna cosa se daba por ofendido, y que le estimaba y „amaba particularmente; y que no sabia que jamas hubiese ofendido á nadie de „proposito; pero que si lo hubiese hecho contra su intencion que le pedia perdon con todo corazon, y luego recibió el santo Viatico con mucha devocion. „Inmediatamente de recibido dice el ministro al enfermo que dé gracias á Dios „por todos los beneficios recibidos, singularmente por el de haberle dado tiempo „de recibir los santos sacramentos de la Penitencia y Eucharistia. Aquí tambien dió publicas gracias á Dios, y tuve que decirle que bastaba, y al ministro que „prosiguiese. Recibió á su tiempo la santa Uncion, y muy atento á los postreros exhortos de los Padres Manuel de Lladrós, y Ambrosio de Barcelona que le „auxiliaron en aquellos momentos dió el alma al Señor dia 11. de noviembre „año de 1777. á los 89. siete meses, y seis dias de su prolongada vida.“

sed bis terque emitteretur. Ita multo magis morbus coepit ingravescere. Id ipse tulit aequissimo animo ; nulla unquam de re quaestus est ; eadem animi et vultus tranquillitate qua in tota vita in illo discrimine fruebatur. Interdum de rebus gravissimis disserens immensam eruditionis copiam profundebat ; alias sermonem liberali illo suo sale condiebat. Ubi vero de eius salute desperari coeptum est omnia catholici viri officia singulari pietate, et tenerrimo animi affectu peregit. Cum ipsi SS. Viaticum ministraretur, rogatus rite de fide in Deum eiusque sacrosancta mysteria, cum annuere tantum in more positum sit, coepit ille fidei professionem emittere singula percurrens mysteria tanto relligionis sensu, ut non meditatam attulisse, sed e re nata et subito et ex intimo cordis affectu erumpere cognosci posset. Inter haec et plura alia devoti Deo animi officia, sanctissime et suavissime ex hac vita in multo beatioris spem erectus decessit tertio idus novembris anni MDCCLXXVII. annos natus LXXXIX. menses VII. dies VI. Haec ego de eius praeclara morte ex ipsius Andrae Comitis narratione contraxi, quae explicatiora apud ipsum in subiecta schedula, ad exemplum quod viri docti aemulari conentur legenda exhibeo. Audita Finestresii morte senatus academicus publice funus eius ornari singulari prorsus exemplo decrevit. Scilicet unum illum eximium, probante etiam senatu regio, reputavit, pro quo iura ipsa migraret, quae vetant cuiquam praeter gymnasiarchum publice parentari. Enim vero is honos nemini ante eum privato, nec vero postea habitus est : cumque idem sapientissimo theologo Ioanni Rovirae decretus ab academia esset, noluit senatus regius privilegium finestresiani nominis claritati tributum in exemplum trahi vulgarique. Fuit Finestresius corporis modo etiam citra mediocrem, sed concinna et aptissima conformatione membrorum, statu eorundem, etiam in ultima senectute, erecto : cum myops esset, tamen nunquam ocularibus vitris aut ad legendum aut ad scribendum usus est. Dignitas non illi quidem deerat, deerat vero quaedam aulicorum in congressionibus elegantia dicam an confidentia quo fie-

bat ut cum de superiori loco diceret actione minus valeret. In consuetudine tamen familiari multa inerat ei comitas sermonemque jocis narratiunculisque multo cum lepore aspergebat. Cum ad omnes fortunae casus esset interritus, tamen nemo minus durus et ferreus: lenissimis moribus, comis, facilis omnibus et affabilis: vitiis quae senectuti tribuuntur omnino caruit, nec in extrema aetate querulus aut morosus; praesentia facile actis iuventutis suae temporibus anteferebat. His moribus beatae quantum in hac misera rerum conditione fas est, sapientissimeque actae vitae, et mortis relligiosissime obitae, quoddam in sese expressit exemplar: quod utinam quoquo modo in his commentariis adumbratum, et mea et litteratorum hominum studia provocare possit ad imitandum!